TRES QVAESTIONES BREVITER DISCVSSÆ, ET CEV FACVLÆ AD INTERNOSCENDAM CHRISTI IN TERRIS Ecclesiam prælatæ.

ITEM, LVTHERANVM ANIMARVM PVRGATORIVM: VBI NONNIHIL DE origine animæ.

AVCTORE SEBASTIANO HEISSIO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.



Cum gratia & priuilegio sacræ Cæs. Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

ANNO DOMINI M. DCX.

NOBILI ET AMPLISSIMO DOMI-NO, D. MARCO VELSERO,

AVGVSTAE VINDELICO-
rum IIviro, &c.

*SEBASTIANVS HEIS-
SIVS, SOCIETATIS IESV,*

*GRATIAM A DEO,
& felicitatem.*

VT ab Ecclesia auulsi ad ve-
ritatis viam reducantur,
IIvir Ampliss. consultissi-
mum videtur, de ipsa Ec-
esia cum eis agere, disputare, illius
tustatem, amplitudinem in Marty-
bus aliisque sanctimonia, miraculis,
uditione illustribus claritudinē, ce-
raque insignia explicare, quæ meri-
& rudiores plurimum mouent, &

 litte-

litteratos mirificâ euidentiâ conuincunt, modo mens non caliget ob erroris præiudicium, nec ferreis peruicaciȩ vinculis constricta teneatur. Hęreticum ex scripturis disputantem nō prius audiendum vult antiquissimus Tertullianus, quam probet se esse illius Ecclesiæ, cui eloquia Apostolica sunt concredita. S. Cyprianus, S. Augustinus doctissimi Patres, quanta vi, quotquot fuerunt, sunt, eruntque, sectas prosternūt suis de vnitate Ecclesiæ libellis? Vtilissima eiusdem S. Augustini de vtilitate credēdi elucubratio Ecclesiæ maximè auctoritatem commendat. Eidem firmissimè adhærescendum esse, quàm neruosè inculcat aureo libello aduersus hæreses cōscripto S. Vincentius Lirinensis? Ipsos hæreticos in Ecclesiæ laudes compellunt lucidissima eiusdem in scripturis encomia. Lutheri verba sunt: *Ecclesia spiritu Dei regitur; sancti (Ecclesiæ membra) aguntur spiritu Dei. Et Christus cum*

Tertullianus cap. 15. & 37. de præscript.

Luther. de seruo arbitrio. tom. 2. VVitt. an. 1562. pag. 438.

Eccle-

Ecclesia sua manet vsque ad consummationem mundi. Et Eccesia Dei est firmamentum & columna veritatis. Hac nouimus. Nam sic habet & symbolum omnium nostrum: Credo Ecclesiam sanctam, Catholicam, vt impossibile sit, illam errare in M I N I M O *articulo.* Hanc ergo audiamus, errare nesciam religionis magistrã, omnisque eliminetur controuersia. Et quia vna solum est Dei Ecclesia, eandem omnino nos audiemus, quã maiores nostri audierunt; qui cum nõ aliam, quàm Romanam Ecclesiam agnouerint; ea vera fuerit, atque etiamnum sit, oportet. Nominetur Ecclesia præter Romanam, quæ centum, ducentis, abhinc annis spiritu Dei recta sit, firmamentum & columna veritatis. Lutherus aliique eum secuti, respondent fuisse inuisibilem; quod ex symbolo confirmant: *Articulus fidei credens Ecclesiam sanctam Catholicã confitetur eam nusquam, nunquam apparere, auferto ab eo omnem locum & personam;*

Rom 8.
Matth. 28.

Luther. cõtra Catharit. t. 2. VVitteb. pag. 141.

 Inui-

Inuisibilésne sunt Lutherani, neque personę, quandoquidem contendunt se esse veram Ecclesiam? An in eum quem videbat, tangebat, non credidit Thomas Apostolus? Verum est, plus credidit, quàm vidit. Vidit carnem, credidit latentem diuinitatem. Et nos Ecclesiæ cœtum oculis conspicimus, multiplicia Spiritus sancti per eam diffusa dona sensus nostros effugiunt. In sublime porrecta est columna veritatis, nequit sub modio occultari. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; nec latere nisi cæcos; ad quos S. Augustinus: *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident; qui contra lucernã in candelabro positam oculos claudunt?* Et quomodo infideles qui præceptum diuinum habent accedendi ad veram Ecclesiam, inuenerint NVSQVAM, NVNQVAM apparentem? Accepi hac de re à te responsum M. Rulichij, quo excitus illud erotema, cuius

Aug. tract. 2. in epist. Ioan.

Eccle-

Ecclesiæ catechesin recipere debuerint infideles, sectariis insolubilem nodum prosecutus sum breuiter; id multis, mihi persuadeo, viam aperiret, vt ad Christi Ecclesiam, à qua spõte exulant, reuerterent, ni grauissimo impediti præiudicio indubitanter tenerent, Romanam cathedram esse ipsissimi Antichristi sedem, quæ plurimo fermento sinceram & ab Apostolo olim traditam Romanis fidē corruperit. Venit in manus meas, quæ vtique per multorum manus volitauit, charta, in qua Euangelici varias quæstiones opponũt, ad quas sibi responderi cupiunt, an non Ecclesia Romana à veteri defecerit. Similibus triumphat Iacobus Heilbrunner in codice suo acatholico. Adieci ergo priori erotemati duo alia: quibus ostenditur, seriem succedentium sibi in Petri cathedra Pontificum ex SS. Patrum, vnanimi consensu esse Apostolicæ Ecclesiæ symbolum, eoq; destitutas no-

ſtri temporis ſectas ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendi, quod Antichriſtianæ ſint, id eſt, Chriſto aduerſæ: nihil autem in Romana doceri Eccleſia, quod cum Chriſti, vetuſtæque Eccleſiæ doctrina non conſentiat. Inſuper Lutheranum do purgatorium, imitatus R. P. Martinum Becanum, ſocietatis noſtræ Theologum, qui non ita pridem Caluinianum purgatorium edidit; cuius operam à viris doctis laudatam eſſe noui. Interpoſui, data occaſione, de animæ origine diſputatiunculam, obſequutus viro optimo, Rauenſpurgenſi Parocho, qui ſuperiori æſtate petiit, vt aliquando Lutheranum hac in re errorem confutarem. Minuta hæc tuæ, tantæ Amplitudini haud æqua tranſmitto, dicoque: neque enim is ſum, à quo exſpectes te digna; & ſatius duxi, vel, oblatâ leuidensâ, te patriæ parentem venerari, tuamque in me, atque vniuerſam Societatem noſtram, voluntatem grato animo re-

colere,

colere, quam omnino vacuum comparere. Deum precamur, vt te nobis, totique Reipub. quam diutiſſimè ſaluum & incolumem conſeruet.

Ingolſtadij VI. Id. Februarias Anno M. DCX.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV, PER SVPERIOREM GERMANIAM.

Tres de vera Christi in terris Ecclesia quæstiones, & purgatorij Lutherani examen, à P. SEBASTIANO HEISSIO Societatis nostrę Theologo conscripta, atque à deputatis eiusdē Societatis Theologis lecta & probata, potestate mihi concessa ab admodum Reuerendo P. N. Claudio Aquauiua Societatis IESV Præposito Generali, ego Theodorus Busæus, dictæ Societatis per superiorem Germaniam Prouincialis, approbo, & typis edi permitto. In cuius fidem testimonium hoc manu mea subscriptum, consueto sigillo communiui. Actum Monachij, die XIV. Aprilis. Anno M. DCX.

THEODORVS BVSAEVS.

SVMMA

SVMMA EORVM QVAE IN VTROQVE TRACTATV DISPV-tantur.

TRACTATVS PRIOR DE ECCLESIA.

Pars

Nemo

ALTER TRACTATVS DE PVRGATORIO LVTHERANO.

I. QVAE-

PRIMA QVAESTIO,

AD QVAM ECCLESIAM VT FIDEI MAGISTRAM ACCEDERE DEBVERINT IVDAEI, MAHOMETANI, aliique infideles ante annos centum, sexcentos, mille.

PARAG. I. In confesso apud omnes est, nullum tot seculis æternam consequi salutem potuisse, extra vnam Christi Ecclesiam. Receptissimum enim illud S. Cypriani: *Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit.* Quia, vt argumẽtatur S. Augustinus; *ad salutem ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum. habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit.* Eleganter etiam Orosius: *Vnus Deus vnam fidem tradidit; vnam Ecclesiam*

[Margin: Cypr. cap. 5. de Vnit. Eccles.]
[Margin: Aug. c. 19. de Vnit. Eccles.]
[Margin: Oros. lib. 7. cap. 33.]

clesiam

clesiam toto orbe diffudit, hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet se quisque nomine tegat, si huic non sociatur, alienus est. Tam illustrem veritatem profitentur ipsi, qui à vetusta Ecclesia digressi proprios quisque cœtus nostro æuo instituerunt: Lutherus Ecclesiam esse prædicat illam sanctã multitudinem, *in qua Christus sit efficax, & regat per redemptionem, gratiam, remissionem peccatorum, &c.* Luculenter Caluinus: *Vt in vitam immortalem renascamur, Ecclesiæ vtero nos concipi; vt conseruemur, illius gremio foueri oportet. Est enim nostra omnium mater, penes quam gratiæ suæ thesauros depositos esse voluit Dominus, &c. Nisi Christo capiti nostro, per hanc cum omnibus eius membris coniunctionem, compacti, nullam cælestis hæreditatis spem cernere possumus, quando extra Ecclesiæ vnitatem nullam esse salutem Scriptura pronunciat. sic enim intelligendæ sunt istæ prophetiæ locutiones: In Zion & in Hierusalem erit saluatio tua.*

Lutherus tom. 7. VVit. eb. anno 1557. pag. 147.

Caluinus cap. 8. Instit. alias lib. 4. cap. 1. sect. 4.

Isa. 2. Ioël. 2.

§. 2. Ex hac tam explorata veritate confit altera: nempe, Ecclesiam Christi, & quidem visibilem, atque ob Diuinorum munerũ eminentiam eruditis & rudibus conspicuam vsq; ad finem mundi semper duraturam; ad quam quouis tempore Iudæi, Gentiles, hæretici, deposita infidelitate,

acce-

accedere poſsint; & debeant. Nam ſi aliquo ſeculo, v. g. ab anno M. CD. vſque ad M. D. nulla fuiſſet Eccleſia certis veritatis inſignibus celebris nemini infidelium (ſecundum ordinariam Dei viam) ſalutem ſuam prudenter operari conceſſum eſſet. quod admittere inſolentiſsima in Deum ac Chriſtum Redemptorem noſtrum impietas foret. Deus enim omnes vult ſaluos fieri; ſalutis conſequendæ ianuam Chriſtus copioſiſsimis meritis reſerauit: & quis eam integro ſeculo omnibus infidelibus occluſam fuiſſe aſſeueret?

§. 3. Si princeps mortem interminaretur omnibus ſubditis, qui hoc tempore extra ciuitatem à ſe nominatam reperirẽtur; nominaret autem iam dudum exciſam, vel ignotam ciuitatem; an non & ipſe feritatis notã ferret, & ciues eius filij mortis eſſent? Extra Eccleſiam omnes immutabili Dei lege, mors æterna manet; quomodo à ventura ira fugient, ſi Eccleſia nulla ſit, vel ita lateat, vt non niſi caſu ac temerè adiri queat; vtpote obſcura, nullis Diuinioribus ſignis illuſtris? vt omittam, Deũ ipſum crudelitatis infamari, quod ſub capitis periculo cunctos ad Eccleſiam conuocet; quæ vel non ſit, aut ab improbis a-

deoque

deoque vitandis conuenticulis dignoſci manifeſte nequeat.

§. 4. Quare Eccleſiam vnicũ ſalutis portum inſtar montis ſupereminentem, inſtar ſolis lucentem venerandi Patres Prophetarum & Apoſtolorum veſtigiis inhærentes paſsim concelebrarunt. S. Cyprianus: *Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, &c.* S. Chryſoſtomus: *Facilius eſt ſolem extingui, quam Eccleſiam obſcurari.* S. Auguſtinus exponens Pſalmum: Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius: *Hæc eſt ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt; hæc eſt lucerna, quæ ſub modio non occultatur; omnibus nota, omnibus diffamata, &c. Sed forte iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Abſit, Deus fundauit eam in æternum, ſi ergo Deus fundauit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?*

Cypr. cap. 4. de Vnit. Eccleſ.

Chryſ. homil. 4. in cap. 6. Iſa.

Auguſt. in Pſalm. 47.

Eod. Pſ. 47

§. 5. Conſenſerunt interim in hanc quoque veritatem nimia eius luce compulſi, qui hodie aduerſus Eccleſiam, quæ ſola omnibus à Chriſto ſeculis nota conſpicuaque fuit, arma ferunt. Lutherus externus veræ Eccleſiæ notas tradens, de ea ſcribit: *Quod ſi ceſſarunt iam Apoſtoli, Euãgeliſtæ & Prophetæ, neceſſe eſt alios ipſis ſucceſsiſſe, & poſthac*

Luth. tom. cit. pag. 150. 151.

successuros esse vsq; ad finem mundi: nam Ecclesia duratura est vsq; ad consummationem seculi. Et: *Ecclesia non potest esse sine huiusmodi Episcopis, Pastoribus, Concionatoribus, Sacerdotibus; nec ipsi contra sine Ecclesia.* AEgidius Hunnius: *Ex totius mundi chronologia notum est, à nostra ætate vsque ad tempora Christi retrogrediendo perpetuam & NON INTERRVPTAM semper fuisse seriem Doctorum & Episcoporū in summis & clarissimis Ecclesiis orbis Christiani, &c. Vnde solari luce clarius effulget, continuam & nullo vnquam tempore intersectam fuisse successionem Christianæ Ecclesiæ.* Ex Caluinistis Gulielmus VVhitakerus idem nec rotunde profiteri, nec inficiari ausus, agnoscit semper aliquam particularē visibilem (vniuersalem enim statuunt esse inuisibilem, cuius membra soli sint prædestinati) Ecclesiam fuisse. *Etsi,* inquit, *sit de ratione & natura Ecclesiæ particularis, vt sit uisibilis, & sic semper aliqua visibilis fuit in terris Ecclesia, non est tamen de illius natura aut ratione, vt semper eodem modo sit visibilis: aliquando enim gloriose visibilis esse potest, aliquando obscurè.*

Hunnius cap.14. de auctorit. S. Script. tom.1. oper. Lat. fol.24.

VVhitaker. quæst.3. de Eccl. cap.2.

§.6. Gloriosior est vno tempore Ecclesia, quam alio; paucis, vel obscure visibilis nunquam. Grassante hæresi, aut tyrannorum calente persecutione deficit in infirmiori-

mioribus; sed vt aurum probatissimũ fulget in constantibus. *Ecclesiam*, testatur S. GREGORIVS THEOLOGVS, *persecutiones splendidiorem per supplicia reddebant*. Et S. Leo I. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascũtur.* Ad enatas quoque hæreses pertinent hæc S. Gregorij Romani: *Tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur*. Et hunc esse fructum, quem Deus ex permissis hæresibus colligit, tradit Apostolus: *Oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant*. In his triumphat mater Ecclesia, quantumcunq; infremant tartara. Nequit obscura esse ciuitas solis, ciuitas in monte, lucerna super candelabrum posita. Obscura, errorum tenebris obsita sunt hæreticorum latibula, ad quos S. Augustinus: *In sole posuit Dominus tabernaculum suum. quid tu, hæretice, fugis in tenebras, quid per angulos fugis, quid latitare conaris?* Sed bene habet, veram, aspectabilem semper fuisse in terris Ecclesiam semperque futuram, ipsos hæreticos testes audiuimus.

Greg. Nazian. orat in laudem Heronis.

Leo Magnus serm. 1. in natali Apostolorum.

Greg. Magnus lib. 9. in Iob. c. 6.

1. Cor. 11.

August. in Psalm. 18.

§. 7. Succedit itaque nostra quæstio, ad quam Ecclesiam accedere Diuina iussione, obstricti fuerint infideles anno M.C D.

necdum natis Lutheranis & Caluinianis, in quorum gratiam hoc ponitur erotema, quo ceu manu ad veræ Ecclesiæ stationem reducantur; q̃ ni agnoscant esse Romanam Catholicam Ecclesiam, nō habent, ꝙ prudenter respondeant. Attamen paucis abhinc annis responsum adornauit è senioribus Prædicantibus Augustæ Vindelicorum Bartholomæus Rulichius pseudoparochus in templo, quod adhuc ab Ordine discalceatorum S. Francisci, qui olim in eo sacra peragebant, nomen habet. Proposuerat nobilis & strenuus Dominus Henricus ab Haslang, piæ.mem. pro egregio suo in religionem zelo, duobus arculariis Lutheranis, quorum operam in arce sua in Hohencameren conduxerat, quindecim quæstiunculas, seu capita, quarum consideratione ad Catholicę Ecclesię gremium miserè seducti redirent: Ipsis hærebat aqua, sed confisi non de futurum Prædicantibus Augustanis, quod respondeant, à nobili Domino questiones descriptas impetrant, atque aduersus eas Rulichij opem implorant, audiuntur, & responsum isthoc tumens titulo: *Propugnaculum veræ Religionis*, expeditur, quod anno M. D C. V. Octobri mense memini mihi à Domino Henrico in

in Hohencameren ostensum, idque postea editum & refutatum est à R.P.F. Marquardo Leone, fratrum de obseruantia Præside, & in summa æde Augustæ Pœnitentiario. Decima porro quęstio erat; quam modò tractamus, quo responsa planè acatholica discutiamus.

§. 8. Quæsitum est: si à vera fide aberrant Catholici, ad quos accedere debuit ante annos centum Iudæus aut Gentilis, qui vnicam Christi fidem, extra quam non est salus, suscipere, in eaque instrui desiderauit. Quid Rulichius? Euangelicos esse Catholicos, à Pontificiis autem Catholicam fidē multa superstitione corruptam. Sueta hæreticis calumnia, & extra versum; cuius tamen non declinanda probatio. *Hoc,* pergit Prædicans, *ipsis oculis videre est ex tractatu de bonis nouis Iesuiticis superiore anno Lipsiæ recuso cui ad calcem adiecta est professio fidei, quā peruersi Stiriј, &c. coram Deo & mūdo facere debent, necessariis glossis illustrata per Baruch Mollitboraum; secus se res habuit ante centum annos, quare omnino licuit Iudæis & Gentilibus ante centū annos se Papistis adiungere, illisq; instructoribus vti. Etsi enim haud purā in omnibus doctrinā, aliquāto tamen perfectiorem de Diuinitate & gratuita redemptione Iesu Christi notitiam assecuti sunt, quā*

 antea

antea habuerint: insuper Iudæi Biblia scrutati plenius ex iis erudiri poterant, quam à Pontificiis monachis & sacerdotibus erudirentur.

§. 9. Hoc hominis responsum? paucis illustremus, quæ extra lineam Prædicans. Nos multiplicis superstitionis tam aperte conuinci in Mollithoræi tractatu, palpabile mendacium; tractatum illum Ingolstadij cusum, vt habet frons libri, Lipsiæ recusum, quædam mentiendi ars est; ficta Baruchi Mollithoræi nomina. Intellexeram auctorem libelli esse Prædicãtem Augustanum, & dum in Hohencameren cum Domino ab Haßlang p. mem. essem, audito Bartholomæi Rulichij nomine occurrit Bartholomæũ Rulich anagrãmatismo in Baruch Mollithoræum abiisse; id nobili Domino aperio, qui statim relicta mensa surgit, litteras computat, vtrinq; easdem, adeoque Rulich auctorem inuenit libelli, ad quem responsi sui lectorem ablegat. Et hæc mirifica hominis vanitas; suam puppam obtrudit, ac si orbis nihil tulisset elegantius, præstantius. imò quid petulantius? exemplo sit hęc fabula, insana calumnia. *Georgius Scherer Viennæ cum homine nauci conuenit, vt se tanquam cadauer loculo includi sineret, quem Pater Scherer à morte suscitaret. quod*

mira-

miraculum cum operaturus esset, ille qui se mortuum fixerat, verè mortuus inuentus est. Hæc pag. 38. fictus Baruch, M. Rulich. linguarium quam optime meritus. quid memorem *glossas necessarias*, strophas dic & inanias, errorum portenta. tremendum nouæ legis sacrificium, quinque præter baptismum scilicet & Eucharistiam, sacramenta furiose proclamantur *magica, superstitiosa, idololatrica. Falsum est, Petrum fuisse Principem Apostolorum.* quamuis sit testatissimũ à sanctis Patrib⁹; scriptura ipsa: *Primus, Simon, qui dicitur Petrus.* Et: *Pasce oues meas*, nec excipit Apostolos. annon ouiũ dux est pastor? Verũ tractatũ Mollithoræi pro meritis tractauit R. D. Cleophas Distelmayr nobis transire nõ licuit, ne laudasse videremur, quem adeo ab auctore ꝓprio laudatũ retulimus.

Matth. 1
Ioan. 21.

§. 10. Nunc propius ad nostram quæstionem accedamus. In eam quis posset induci sententiam, * Ruchilium tenere quod Romana Ecclesia annis abhinc centum necdum tam grauibus se indueritt erroribus, quin vera Christi esset Ecclesia: sed aliter rudit in suo tractaculo pag. 9. *Romana Ecclesia iam à 700. annis tanquam Romana Babylon, & Papa tanquam Antichristus à multis piis viris* (impium mendacium nomine-

* Vide §.

 tur

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV, PER SVPERIOREM Germaniam.

Tres de vera Christi in terris Ecclesia quæstiones, & purgatorij Lutherani examen, à P. SEBASTIANO HEISSIO Societatis nostrę Theologo conscripta, atque à deputatis eiusdē Societatis Theologis lecta & probata, potestate mihi concessa ab admodum Reuerendo P.N. Claudio Aquauiua Societatis IESV Præposito Generali, ego Theodorus Busæus, dictæ Societatis per superiorem Germaniam Prouincialis, approbo, & typis edi permitto. In cuius fidem testimonium hoc manu mea subscriptum, consueto sigillo communiui. Actum Monachij, die XIV. Aprilis. Anno M. DCX.

THEODORVS BVSAEVS.

SVMMA

SVMMA EORVM QVAE IN VTROQVE TRACTATV DISPV-tantur.

TRACTATVS PRIOR DE ECCLESIA.

Pars

Nemo

ALTER TRACTATVS DE PVRGATORIO LVTHERANO.

I. QVAE-

PRIMA QVAESTIO,

AD QVAM ECCLESIAM VT FIDEI MAGISTRAM ACCEDERE DEBVERINT IVDAEI, MAHOMETANI, aliique infideles ante annos centum, sexcentos, mille.

PARAG. I. In confesso apud omnes est, nullum tot seculis æternam consequi salutem potuisse, extra vnam Christi Ecclesiam. Receptissimum enim illud S. Cypriani: *Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit.* Quia, vt argumẽtatur S. Augustinus; *ad salutem ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum. habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit.* Eleganter etiam Orosius: *Vnus Deus vnam fidem tradidit; vnam Ecclesiam*

ypr. cap. 5. e Vnit. Eccles.

ug. c. 19. Vnit. Eccles.

ros. lib. 7. p. 33.

clesiam toto orbe diffudit, hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet se quisque nomine tegat, si huic non sociatur, alienus est. Tam illustrem veritatem profitentur ipsi, qui à vetusta Ecclesia digressi proprios quisque cœtus nostro æuo instituerunt: Lutherus Ecclesiam esse prædicat illam sanctã multitudinem, *in qua Christus sit efficax, & regat per redemptionem, gratiam, remissionem peccatorum, &c.* Luculenter Caluinus: *Vt in vitam immortalem renascamur, Ecclesiæ vtero nos concipi; vt conseruemur, illius gremio foueri oportet. Est enim nostra omnium mater, penes quam gratiæ suæ thesauros depositos esse voluit Dominus, &c. Nisi Christo capiti nostro, per hanc cum omnibus eius membris coniunctionem, compacti, nullam cælestis hæreditatis spem cernere possumus, quando extra Ecclesiæ vnitatem nullam esse salutem Scriptura pronunciat. sic enim intelligendæ sunt istæ prophetiæ locutiones: In Zion & in Hierusalem erit saluatio tua.*

Lutherus tom. 7. VVit-teb. anno 1557. *pag.* 147.

Caluinus cap. 8. *Instit. alias lib.* 4. *cap.* 1. *sect.* 4.

Isa. 2. *Ioël.* 2.

§. 2. Ex hac tam explorata veritate consit altera: nempe, Ecclesiam Christi, & quidem visibilem, atque ob Diuinorum munerũ eminentiam eruditis & rudibus conspicuam vsq; ad finem mundi semper duraturam; ad quam quouis tempore Iudæi, Gentiles, hæretici, deposita infidelitate, acce-

accedere possint; & debeant. Nam si aliquo seculo, v. g. ab anno M. CD. vsque ad M. D. nulla fuisset Ecclesia certis veritatis insignibus celebris nemini infidelium (secundum ordinariam Dei viam) salutem suam prudenter operari concessum esset. quod admittere insolentissima in Deum ac Christum Redemptorem nostrum impietas foret. Deus enim omnes vult saluos fieri; salutis consequendæ ianuam Christus copiosissimis meritis reserauit: & quis eam integro seculo omnibus infidelibus occlusam fuisse asseueret?

§. 3. Si princeps mortem interminaretur omnibus subditis, qui hoc tempore extra ciuitatem à se nominatam reperirētur; nominaret autem iam dudum excissam, vel ignotam ciuitatem; an non & ipse feritatis notā ferret, & ciues eius filij mortis essent? Extra Ecclesiam omnes immutabili Dei lege, mors æterna manet; quomodo à ventura ira fugient, si Ecclesia nulla sit, vel ita lateat, vt non nisi casu ac temerè adiri queat; vtpote obscura, nullis Diuinioribus signis illustris? vt omittam, Deū ipsum crudelitatis infamari, quod sub capitis periculo cunctos ad Ecclesiam conuocet; quæ vel non sit, aut ab improbis adeoque

deoque vitandis conuenticulis dignosci manifeste nequeat.

§. 4. Quare Ecclesiam vnicũ salutis portum instar montis supereminentem, instar solis lucentem venerandi Patres Prophetarum & Apostolorum vestigiis inhærentes passim concelebrarunt. S. Cyprianus: *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, &c.* S. Chrysostomus: *Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.* S. Augustinus exponens Psalmum: Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius: *Hæc est ciuitas in monte posita, quæ abscondi non potest; hæc est lucerna, quæ sub modio non occultatur; omnibus nota, omnibus diffamata, &c. Sed forte ista ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Absit. Deus fundauit eam in æternum, si ergo Deus fundauit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?*

Cypr. cap. 4. de Vnit. Ecclesi. Chrys. homil. 4. in cap. 6. Isa. August. in Psalm. 47. Eod. Ps. 47

§. 5. Consenserunt interim in hanc quoque veritatem nimia eius luce compulsi, qui hodie aduersus Ecclesiam, quæ sola omnibus à Christo seculis nota conspicuaque fuit, arma ferunt. Lutherus externus veræ Ecclesiæ notas tradens, de ea scribit: *Quod si cessarunt iam Apostoli, Euãgelistæ & Prophetæ, necesse est alios ipsis successisse, & posthac*

Luth. tom. cit. pag. 150. 151.

successuros esse vsq; ad finem mundi: nam Ecclesia duratura est vsq; ad consummationem seculi. Et: *Ecclesia non potest esse sine huiusmodi Episcopis, Pastoribus, Concionatoribus, Sacerdotibus; nec ipsi contra sine Ecclesia.* AEgidius Hunnius: *Ex totius mundi chronologia notum est, à nostra ætate vsque ad tempora Christi retrogrediendo perpetuam & NON INTERRVPTAM semper fuisse seriem Doctorum & Episcoporũ in summis & clarissimis Ecclesiis orbis Christiani, &c. Vnde solari luce clarius effulget, continuam & nullo vnquam tempore intersectam fuisse successionem Christianæ Ecclesiæ.* Ex Caluinistis Gulielmus VVhitakerus idem nec rotunde profiteri, nec inficiari ausus, agnoscit semper aliquam particularẽ visibilem (vniuersalem enim statuunt esse inuisibilem, cuius membra soli sint prædestinati) Ecclesiam fuisse. *Etsi,* inquit, *sit de ratione & natura Ecclesiæ particularis, vt sit uisibilis, & sic semper aliqua visibilis fuit in terris Ecclesia, non est tamen de illius natura aut ratione, vt semper eodem modo sit visibilis: aliquando enim gloriose visibilis esse potest, aliquando obscurè.*

Hunnius cap. 14. de auctorit. S. Script. tom. 1. oper. Lat. fol. 24.

VVhitaker. quæst. 3. de Eccl. cap. 2.

§. 6. Gloriosior est vno tempore Ecclesia, quam alio; paucis, vel obscure visibilis nunquam. Grassante hæresi, aut tyrannorum calente persecutione deficit in infirmiori-

mioribus; ſed vt aurum probatiſsimū fulget in conſtantibus. *Eccleſiam*, teſtatur S. GREGORIVS THEOLOGVS, *perſecutiones ſplendidiorem per ſupplicia reddebant*. Et S. Leo I. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcūtur.* Ad enatas quoque hæreſes pertinent hæc S. Gregorij Romani: *Tunc ſancta Eccleſia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur.* Et hunc eſſe fructum, quem Deus ex permiſsis hæreſibus colligit, tradit Apoſtolus: *Oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant.* In his triumphat mater Eccleſia, quantumcunq; infremant tartara. Nequit obſcura eſſe ciuitas ſolis, ciuitas in monte, lucerna ſuper candelabrum poſita. Obſcura, errorum tenebris obſita ſunt hæreticorum latibula, ad quos S. Auguſtinus: *In ſole poſuit Dominus tabernaculum ſuum. quid tu, hæretice, fugis in tenebras, quid per angulos fugis, quid latitare conaris?* Sed bene habet, veram, aſpectabilem ſemper fuiſſe in terris Eccleſiam ſemperque futuram, ipſos hæreticos teſtes audiuimus.

Greg. Nazian. orat. in laudem Heronis.

Leo Magnus ſerm. 1. in natali Apoſtolorum.

Greg. Magnus lib. 9. in Iob. c. 6.

1. Cor. 11.

Auguſt. in Pſalm. 18.

§. 7. Succedit itaque noſtra quæſtio, ad quam Eccleſiam accedere Diuina iuſsione, obſtricti fuerint infideles anno M. C D.

necdum natis Lutheranis & Caluinianis, in quorum gratiam hoc ponitur erotema, quo ceu manu ad veræ Ecclesiæ stationem reducantur; q̃ ni agnoscant esse Romanam Catholicam Ecclesiam, nõ habent, ꝙ prudenter respondeant. Attamen paucis abhinc annis responsum adornauit è senioribus Prædicantibus Augustæ Vindelicorum Bartholomæus Rulichius pseudoparochus in templo, quod adhuc ab Ordine discalceatorum S. Francisci, qui olim in eo sacra peragebant, nomen habet. Proposuerat nobilis & strenuus Dominus Henricus ab Haslang, piæ. mem. pro egregio suo in religionem zelo, duobus arculariis Lutheranis, quorum operam in arce sua in Hohencameren conduxerat, quindecim quæstiunculas, seu capita, quarum considerationе ad Catholicę Ecclesię gremium miserè seducti redirent: Ipsis hærebat aqua, sed confisi non de futurum Prædicantibus Augustanis, quod respondeant, à nobili Domino questiones descriptas impetrant, atque aduersus eas Rulichij opem implorant, audiuntur, & responsum isthoc tumens titulo: *Propugnaculum veræ Religionis*, expeditur, quod anno M. D C. V. Octobri mense memini mihi à Domino Henrico

in

in Hohencameren ostensum, idque postea editum & refutatum est à R.P.F. Marquardo Leone, fratrum de obseruantia Præside, & in summa æde Augustæ Pœnitentiario. Decima porro quęstio erat; quam modò tractamus, quo responsa planè acatholica discutiamus.

§. 8. Quæsitum est: si à vera fide aberrant Catholici, ad quos accedere debuit ante annos centum Iudæus aut Gentilis, qui vnicam Christi fidem, extra quam non est salus, suscipere, in eaque instrui desiderauit. Quid Rulichius? Euangelicos esse Catholicos, à Pontificiis autem Catholicam fidē multa superstitione corruptam. Sueta hæreticis calumnia, & extra versum; cuius tamen non declinanda probatio. *Hoc*, pergit Prædicans, *ipsis oculis videre est ex tractatu de bonis nouis Iesuiticis superiore anno Lipsiæ recuso cui ad calcem adiecta est professio fidei, quā peruersi Stirij, &c. coram Deo & mūdo facere debent, necessariis glossis illustrata per Baruch Mollitboraeum; secus se res habuit ante centum annos, quare omnino licuit Iudæis & Gentilibus ante centū annos se Papistis adiungere, illisq; instructoribus vti. Etsi enim haud purā in omnibus doctrinā, aliquāto tamen perfectiorem de Diuinitate & gratuita redemptione Iesu Christi notitiam assecuti sunt, quā*

 antea

antea habuerint: insuper Iudæi Biblia scrutati plenius ex iis erudiri poterant, quam à Pontificiis monachis & sacerdotibus erudirentur.

§. 9. Hoc hominis responsum? paucis illustremus, quæ extra lineam Prædicans. Nos multiplicis superstitionis tam aperte conuinci in Mollithoræi tractatu, palpabile mendacium; tractatum illum Ingolstadij cusum, vt habet frons libri, Lipsiæ recusum, quædam mentiendi ars est; ficta Baruchi Mollithoræi nomina. Intellexeram auctorem libelli esse Prædicãtem Augustanum, & dum in Hohencameren cum Domino ab Haslang p. mem. essem, audito Bartholomæi Rulichij nomine occurrit Bartholomæũ Rulich anagrãmatismo in Baruch Mollithoræum abiisse; id nobili Domino aperio, qui statim relicta mensa surgit, litteras computat, vtrinq; easdem, adeoque Rulich auctorem inuenit libelli, ad quem responsi sui lectorem ablegat. Et hæc mirifica hominis vanitas; suam puppam obtrudit, ac si orbis nihil tulisset elegantius, præstantius. imò quid petulantius? exemplo sit hęc fabula, insana calumnia. *Georgius Scherer Viennæ cum homine nauci conuenit, vt se tanquam cadauer loculo includi sineret, quem Pater Scherer à morte suscitaret. quod mira-*

miraculum cum operaturus esset, ille qui se mortuum finxerat, verè mortuus inuentus est. Hæc pag. 38. fictus Baruch, M. Rulich. linguarium quam optime meritus. quid memorem *glossas necessarias*, strophas dic & inanias, errorum portenta. tremendum nouæ legis sacrificium, quinque præter baptismum scilicet & Eucharistiam, sacramenta furiose proclamantur *magica, superstitiosa, idololatrica. Falsum est, Petrum fuisse Principem Apostolorum.* quamuis sit testatissimũ à sanctis Patrib⁹; scriptura ipsa: *Primus, Simon, qui dicitur Petrus.* Et: *Pasce oues meas*, nec excipit Apostolos. annon ouiũ dux est pastor? Verũ tractatũ Mollithoræi pro meritis tractauit R. D. Cleophas Distelmayr nobis transire nõ licuit, ne laudasse videremur, quem adeo ab auctore ꝓprio laudatũ retulimus.

Matth. 10. *Ioan. 21.*

§. 10. Nunc propius ad nostram quæstionem accedamus. In eam quis posset induci sententiam, * Ruchilium tenere quod Romana Ecclesia annis abhinc centum necdum tam grauibus se induerit erroribus, quin vera Christi esset Ecclesia: sed aliter rudit in suo tractaculo pag. 9. *Romana Ecclesia iam à 700. annis tanquam Romana Babylon, & Papa tanquam Antichristus à multis piis viris* (impium mendacium nomine-

** Vide §. 8.*

 tur

tur vnicus pietate clarus) *promulgatus & declaratus fuit*. Ergone infideles Christum discere debuerunt in schola Antichristi? vt ab Ecclesiæ larua, dæmonis regno, pseudoprophetis, & falsis doctoribus veræ fidei doctrinam acciperent voluit, imo mãdauit Deus? Audire forsitan mendaces magistros debuerunt Iudæus & Gentilis, & verum à falso ipsi discernere, prius iudices, quam discipuli? Clamat Apostolus, fidem acquiri non posse sine ministro legitimo, legitimè vocato: at si Rulichio credimus, ad fidem docendam sufficit, qui Deum credit, & Christum redemptorem, etsi cetera sit hæreticissimus. Audi quid de nostris Doctoribus scribat Lutherus: *Sunt Apostoli, Euangelistæ, & Prophetæ diaboli.* Et: *Papa cum suis asseclis verbum Dei persequentibus, tametsi id verum esse fateantur, tales sunt Apostoli, Euangelistæ, & Prophetæ, qualis est diabolus cum suis angelis.* Et per hos ad Deum accedere debuerint infideles? Tanquam magistri amplectendi erunt, quos Paulus vitandos, Ioannes nec salutatione dignandos esse volunt.

Rom. 10.

Luth. to. 7. Viteb. an. 1557. p. 150.

Rom. 16. Tit. 3. Ioan. ep. 2.

§. II. Visa hæc merito paradoxa viris doctis; tentatum an saniora responderet Rulichius, nec causam suam tam aperte proderet.

deret. Reddo, eius ad quendam suæ fidei datum respõsum, mihi à nobili & amplissimo Augustæ Vindelicorum Duumuiro Marco Velsero transmissum.

S. P. Hæc vir doctißime quamuis non tibi, tamen vt tecum sint, nec excidant memoria responde-re volui. Quæsitum est: An non veram Ecclesiam illam esse agnoscam, ad quam olim & non aliam accedere meo quoque sensu debuerint, quibus religio, pietasq; cordi fuerit. Respondeo. Ad Ecclesiam illam Pontificiam accedere & recipere sese debuerunt, qui veritatem agnoscere voluerunt, cum ante Lutheri tempora alia non fuerit: eò quod ibidem habuerint Baptismum, Decalogum, symbolum Apostolicum, orationem Dominicam, & alia veræ Religionis & pietatis rudimenta, an mauis, initia. Non tamen pura per omnia fuit istius temporis vel Religio vel Ecclesia: sed multis erroribus & ignorantiæ tenebris inuoluta. Sic ante prius excidium Ierosolymorum in Regno Iudæ fuit vera an dicam, Ecclesia, an vero potius, veræ Ecclesiæ vmbra: ad quam vnicam sese gentes ex suo atheismo debuerunt & potuerunt recipere: Et ea tamen ipsa à propheta istius seculi ita describitur, quod eousq; degenerauerit & desciuerit, vt sacerdotes nõ dixerint, Vbi est Domin⁹? *& qui tenebant legem, & non cognouerint Deum: sed & Pastores præuaricati sint in Dominum: & Prophetæ vaticinati sint in Baal, & prodierint post*

ea quæ prodesse non potuerint c.2.v.8. Præstabat enim vtiq; quocunq; modo aliquatenus ad cognitionem & cultum veri Dei accedere, quam prorsus in Ethnicorum Idolomania perseuerare. Sic & Christo nato ea erat Ecclesiæ facies & conditio, vt derogget seruator ipse Iudæorũ primatibus cognitionem veri Dei, & tamen largitur & condonat iisdem titulum Ecclesiæ, quam Psaltes vocat malignãtium: Et tamen non sequitur quod simpliciter pro vera agnouerit; sed pro illius temporũ ratione. Accipe aliud exemplum, Matth. 23. v. 1. dicit ad turbas & ad discipulos suos: super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: omnia ergò quæcunq; dixerint vobis seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Et tamen nihil minus inde sequitur, quam illos fuisse vera vel membra vel organa veræ Ecclesiæ. Nam ibidem v. 13. & 14. Væ illis denunciat & exitium æternum dicens: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, Hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare: & iterum: væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum Proselytum, & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quã vos. Sic Eunuchus Candacis Reginæ, Ethnicus natus ad Iudaismum se conuerterat, Pascha celebrabat. & tamen infirmus in cognitione veritatis & in fide, comparauerat sibi librum Esaiæ Prophetæ.

quem

quem priuatim legebat, ſed non intelligebat, nec tamen deerat auxilium à Domino per Sp. ſanctum & Philippum. Quid inde elici poßit, videbit cui datum eſt veritatem cognoſcere.

Vt igitur ſummatim complectar.

Reſpondeo ſcholaſtice: Qui contra me modo eo argumentatur, quod concedendo conceſſa teneat Eccleſiam Pontificiam pro vera, pro Catholica nolens volens agnoſcere: peccat per fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter:

Theologicè. Doctor gentium docet diſtinguere inter τὺς χρόνυς τῆς ἀγνόιας; & τῆς γνώσεως. In priori membro prædicanda eſt Longanimitas & ineffabilis bonitas: In ſecundo non eſt aſpernanda ſuperabundans gratia.

Tuus

Rulichius.

§. 12. Vere S. Vincentius Lirinenſis atteſtatur; *Nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quam vt, vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur auctoritas.* Nec vmbrã aut ſpeciem veri habet Deum præcipere vt à malignãtium Eccleſia religionem, à pſeudoprophetis veritatẽ diſcant infideles, à lupis rapacibus loca paſcua exigant oues, à ſpiritualibus furibus theſauros Diuinæ ſcientiæ requirant rudes.

Vincent. cap. 37. aduerſus hæreſes.

rudes, à latronibus animarũ medicinam infirmi. Et tamen tam horrida comuntur sacrarum litterarum frondibus. Scripturam ab iniquis sensibus vindicemus.

rem.2. §. 13. *Sacerdotes non dixerunt: Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & Pastores preuaricati sunt in me: & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola secuti sunt.* Hæc Propheta Ieremias regnante Iosia rege sancto, sub quo floruit religio, vera VERA claruit Ecclesia, in qua Deo secundum legem ministrarunt Helcias optimus Pontifex, legitimi Sacerdotes & Leuitæ, vt Diuinæ perhibent litteræ. Habebat & Baal suos sacerdotes, de quibus in libris Regum: *Occidit* (Iosias) *vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria.* Absit, quod ab his in fide instrui debuerint Gentiles, & non à veris Dei sacerdotibus. Horum si nullos fuisse tum, aut latuisse dixeris Rulichi, falleris, scripturis aduersaris; si his relictis, ad Baalitas accedere debuisse Gentiles, Hippocratis vinculis ligandus es. Non scribit Ieremias, *omnes Sacerdotes, omnes Prophetæ*; alioqui sequeretur & ipsum & alios Prophetas sanctos, vt Sophoniam in Baal prophetasse. Veterum interpretum regula est, scripturas vniuersos impietatis postulantes haud

Reg.23. Paralip. .35.

haud vniuersaliter intelligendas esse: de quo bene S. Augustinus. Quæ ergo te agitat intemperies, qui Prophetam indefinite, non vniuersaliter locutum vniuersaliter interpretaris?

Aug. cap. 13. de Vnitate Ecclesia.

§. 14. *Præstabat vtique,* ais, *quocunq; modo aliquatenus ad cognitionem ac cultum veri Dei accedere, quam prorsus in idolomania perseuerare.* Sit ita; an consequitur eos debuisse adire ad sacerdotes dæmonum? Ipse etiam diabolus quædam bona doceret, sed longe satius est nihil cum eo commercij habere, quam illo vti magistro. Non tenemur notitiam alicuius veritatis nobis comparare cum periculo grauis simul contrahendi erroris. Sed nec tam indubitatum fuerit, quod tu *vtique* præstare ais. Melius fuerit multis, ignorasse verum Deum, quam agnitum nō vt Deum glorificasse, & ad impia veræque fidei aduersa sensa declinasse. Integram religionem exigit Dominus, nō amat partes. *Vsquequo claudicatis,* alloquitur Israëlem Elias, *in duas partes? Si Dominus est Deus sequimini illum; si autem Baal est Deus, sequimini illum.* Et Dominus ipse: *Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigid' nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Vbi S. Ambrosius, Arethas, aliique interpretes

3. Reg. 18.

Apoc. 3.

Ambros. in Psalm. 118.

pretes per frigidum intelligunt infidelem, per tepidū vero fidelem vita impium; nos ſemifidelem accipiamus, qui nō rarò Deo magis odibilis eſt, quam idololatra, etſi maiorem Dei notitiam habeat, quemadmodum & tepidus calori propinquior eſt, quàm frigidus. Tu verba Chriſti, quæ laudaſti, expende de proſelyto malos magiſtros nacto, qui duplo ſit filius gehennæ. Dic an non melius illi fuiſſet, ſi nunquam talibus magiſtris ſe credidiſſet? Famelicus ſecurius omni cibo abſtinet, quam vt pane veſcatur venenato. ſic optabilius fuerit nos inanes ſacræ doctrinæ manere, quàm erroribus infectam ſugere.

§. 15. Verū in hoc minime vertitur cardo quæſtionis. Nam conuenit apud omnes non debuiſſe infideles fidei inſtructionem petere à falſis Prophetis, quando erant fideles & veri doctores; ſed Ioſiæ tempore, ad quod pertinent priora capita Ieremiæ, nullos fuiſſe veros, legitimos ſacerdotes & doctores, nunquam probabit Rulichius, & manifeſte falſum eſt. Accedit, quod Iudæorum ſynagoga non fuerit vniuerſalis Eccleſia, ad quam debuerint accedere Gentes; ſed poterant abſque circumciſione, & Moſaicæ legis iugo (non tamen

ſine

ſine ſupernaturali in Deum fide) ſaluari, adeoque legitimos ſacerdotes habere, qui non eſſent ex Iſraëlitis ſeu Iacobi poſteris, ex quibus nec S. Iob, & tamen in populo ſuo non ſolum princeps, ſed & ſacerdos, vir ſanctus ac rectus fuit.

§. 16. Sed ſpectemus alia Rulichij exempla. *Chriſto nato ea erat Eccleſiæ facies & conditio, vt deroget Seruator ipſe Iudaorum primatibus cognitionem veri Dei. & tamen largitur & condonat iiſdem titulum Eccleſiæ, quam Pſaltes vocat malignantium.* Tempore nati Domini erant plures puri doctores & ſacerdotes, Zacharias *incedens in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela*, Simeon *vir iuſtus & timoratus, & Spiritus ſanctus erat in eo.* nec vtique hi ſoli. Chriſtum duodennem lego ſediſſe *in medio doctorum, audientem illos, & interrogātem eos*: fuiſſe falſos Prophetas, pſeudodidaſcalos, non niſi temere aſtrueretur. Ipſi phariſæi licet tempore Chriſti inanibus quibuſdam & ſuperſtitioſis traditionibus addicti fuerint; eas tamen non promulgabant tanquam fidei dogmata neceſſariò recipienda, nec publicabant ita vt populum ad illas tenendas, ſequendas obligarent; ſed veluti priuatas reuelationes ſeu doctrinas ſuorum, nec antiquorum magi-

Luc. 1. & 2.

magistrorum proponebant;in quibus eos audire non tenebantur populi. At quæ tanquam à Moyse & Prophetis scripta vel tradita communiter docebant, ea vera, sancta erant, non fabulæ aut superstitiosa. Sed nec omnes Pharisæi falsis traditionibus credebant, & præter Pharisæos erant alij sacerdotes, & legis doctores sinceri pharasaico fermento non corrupti, vt taceam eos, qui lege Mosis non tenebantur. Nam centurio Cornelius à S. Luca prædicatur *vir religiosus & timens Deum*; at nulla consistit religio excluso sacerdotio, sacrificio,&c. nec à Iudæis hæc petebat Cornelius, sed alios religionis suæ magistros habebat;neque enim,vt §.15. dictum est,synagoga erat vniuersalis Ecclesia, ad quam omnes deberent accedere, qui vellent piè viuere. Ecce tibi non vnum fidelium doctorum genus, à quibus fidem integre doceri poterant Iudæi & Gentiles tempore, quo Christus in terris versabatur, Doctorum omnium caput & princeps. ab hoc die, sodes vbi Ecclesiæ nomine compellentur falsi doctores;sed addis illam ipsam Ecclesiam à Dauide vocari malignātium. An vigilas? Ecclesia malignantium recte indigitatur quiuis hæreticorum cœtus, &

Actuū.10.

eo

eò rectius, quo fuerit pestilentior. Ad eiusmodi autem Ecclesiam iussu Dei se recipiant infideles, vt in fide erudiantur? aliter canit sanctus Propheta: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Psalm. 1.

§. 17. Sed enim, quod ex abundanti, vt dicitur, respōdimus, ipsos Pharisæos quos Dominus reprehēdit, non docuisse vllum dogma falsum, tanquam à Deo & sanctis Prophetis traditum, ac necessario recipiendum, nonnihil confirmandum est, ne temerè assertum videatur. Id porro probatur primo ex Græcis Latinisque Patribus, qui testantur Pharisæos suas superstitiosas traditiones, quas δευτερώσεις secundarias appellabant, in recentiores quosdam tanquam auctores retulisse. S. Hieronymus scribit Iudæos suam quandam traditionem his verbis tutari solitos: *Rab-akiba, & Symeon & Hille magistri nostri tradiderūt nobis.* S. Epiphanius: *Traditiones seniorum, expositiones apud Iudaeos appellantur. Sunt autem hæ quatuor; vna quæ Mosis nomine fertur; altera eius, qui vocatur Rabcaciba; tertia Adda siue Iuda; quarta filiorum Asarmonazi.* Has autem à Rabinis acceptas traditiones instar rerum, de quibus salua fide alterutra pars tenetur,

Hier. ep ad Algasiam quæst. 10.
Eiphan. hæresi 33.

docuiſſe Phariſæos vel inde liquet, quod à reliqua Iudæorum ſynagoga ſe non ſeparauerint, ſed vt fidei communis conſortes habiti ſint: Vnde nec Chriſtus, nec Ioannes Baptiſta, nec eorum diſcipuli & ſectatores vnquam accuſati ſunt, quod eiuſmodi traditiones non ſeruent, & Dominus non vniuerſam ſynagogam, ſed Phariſæos ob ἀυτπεράοτις reprehendit, audientibus & applaudentibus populis. Lego quidem IESVM rogatum, cur diſcipuli eius transgrederentur traditionem, ſeu, non ambularent ſecundum traditionem ſeniorum: id nonnulli moleſtè ferebant, nec tamen abſolutè accuſare auſi interrogant, & quidem de vna tantum traditione; Ne, illotis manibus ſumeretur cibus, quod interdum Apoſtoli ſolum forte panem veſcentes prætermiſerunt. Opinor autem ob vnius huius traditionis neglectum murmuraſſe apertius quoſdam è Phariſæis & Scribis; quod illa ab omnibus communiter ſeruaretur, non ob Phariſaicam ἀυτπέρωον; ſed ex quadam honeſtate, atq; ciuilitate; ac proinde confidebant, Chriſtum offenſurum plebem, ſi diſcipulis ſuis patrocinaretur. De ceteris longè grauioris momenti traditionibus, quas pleriq; ſcilicet

[Margin: Matth. 15. Mar. 7.]

licet negligerent, nunquam incuſati diſcipuli; nec Domino, cum ſummi, & infimi ei accuſando ſtuderent, de neglectis ac repræhenſis ſeniorum traditionibus lis vllo verbo intenta eſt. Ex quibus planè euincitur, ſuperſtitiones phariſaicas haud inſtar communis publicæ doctrinæ habitas: nec ab omnibus Phariſæis receptas fuiſſe ſignificat Apoſtolus fidenter exclamans: *Ego Phariſæus ſum*, vtique non vanarum δευτερώσεων fermentum, ſed ſinceræ religionis dogmata profeſſus.

Act. 23.

§. 18. Idem egregiè probant verba, quæ Rulichius poſtremo adeoque belli argumenti loco poſuit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite, ſecundum opera verò eorũ nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* An non vniuerſa Phariſæorum doctrina publica ſeu ex cathedra propoſita à Chriſto vt proba, ſancta commendatur? QVAECVNQVE *dixerint, facite:* de hoc condemnantur, quod à doctrina optima mores vitaque diſsiderent. Secure ab eo in fide, inſtruerentur Judæi & Pagani qui in omnibus, quæcunque docuerit, irreprehenſibilis eſſet, vt erant Phariſæi quoad publicam doctrinam. At quomodo, ſi praua ſenſerunt,

Matth. 23.

runt, ea ne publicarent, tanquam necessaria creditu, se cohibuerunt? Veriti sunt hæreseos infamiam, à communi religione, facto schismate, discedere noluerunt, & vel ideo suorum magistrorũ dogmata ad credendum libera esse voluerunt. ab ipsa cathedra, id est, à Spiritu sancto cathedræ singulariter assistente eos prohibitos, ne tanquam legis doctores falsa prædicarent, eleganter tradit S. Augustinus, idque ex Christi verbis concludit: *Illa ergo cathedra, non eorum, sed Mosi, cogebat eos bona dicere; etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua cathedra illos non permittebat aliena.* Idem contra Faustum: *In Dominicis verbis vtrumq; debetis aduertere: & quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cuius cathedra etiam mali sedentes bona docere cogebantur: & vnde fieret proselytus filius gehennæ, non scilicet à Pharisæis verba legis audiendo, sed eorum facta sectando.*

S. August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 27. Idem lib. 16. contra Faustum, cap. 29.

§. 19. Scribarum porro & Pharisæorum nominibus imprimis designatos à Domino esse Ecclesiæ Episcopos & doctores, quorum non minor in docendo erat futura auctoritas, aduertit alibi S. Augustinus: *Non eos solos*, inquit, *significabat Dominus, quasi vero eos qui crederent ad Iudæorum scholas mitteret, vt ibi discerent, quemadmodum iter sit ad regnum*

Aug. serm. 49. de Verbis Domini

regnum cœlorum. Nonne ideo Dominus venit, vt instrueret Ecclesiam? &c. In hanc vtique conuenit; QVAECVNQVE tota Ecclesia dixerit, tametsi interim aliquos malos sustineat ministros, facite. Nam, vt idem Dominus ait; *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Dixit iam tot seculis Ecclesia: Orandum esse pro defunctis, inuocandos sanctos, venerandas sacras imagines, sacerdotes debere esse cælibes, abstinẽdum carnibus in Quadragesima, &c. facite. Hoc verbis illis exigit Christus, quæ quomodo Rulichio seruiant, non apparet. Neque enim alia, quam vera Ecclesia præcipitur obseruanda, vt olim erat synagoga, etsi non sola, iam vnica est Catholica Ecclesia. Nihil etiam, nihil pro Rulichio facit Eunuchi Candacis reginæ exemplũ, qui ex Gentili factus est Iudæorum proselytus forte plurib' annis ante Christi mortem; dein, reuoluto à Domini resurrectione anno, à sancto Philippo diacono fidem Christi doctus ac baptizatus est. *Quid inde elici possit, videbit cui datum est veritatem agnoscere:* ait Rulichius. vel lynceis oculis nihil conspiciet, quo probetur Gentiles fidem discere debuisse à falsa Ecclesia, seu quadã Ecclesiæ vmbra & imagine.

Matth. 18.

Act. 8.

§. 20.

§. 20. Rectè ergo iudicasti: *Ad Ecclesiam Pontificiam accedere & recipere sese* DEBVERVNT, *qui veritatem agnoscere voluerunt.* Sed inde consequitur ineuitabiliter, eam esse veram simpliciter Christi Ecclesiam, non diaboli synagogam, & Antichristi regiam, vt à vobis traducitur, Qualis si foret, etiam qui in ea sunt, ex illa fugere DEBERENT; & alij eam ingredi debeant? De Pontificia Ecclesia accipitis quod de Babylone legimus: *Exite de illa populus meus.* In quæ verba Conradus Schlüsselburgius Stralesundensis in Pomerania Superintendens: *Obtemperandum recta via illi voci est ex cælo sonanti in hanc terram. Ex hoc diuino mandato & hac Lutheri animosa vox desumpta est, eum saluum fieri non posse, qui non toto corde oderit Papam.* Et: *Certum & hoc est, non esse rem liberam, sed clarißimi iuris ac præcepti Diuini, vt* OMNES *mortales, cuiuscunque tandem illi sint sexus, ordinis, excellentiæ, auctoritatis* SVMMA *cura & seueritate caueant, fugiant, detestentur falsa dogmata, & falsos doctores ipsos, atque adeo malignantium Ecclesiam vniuersam, idque faciant corde rectè iuxta Verbum Dei iudicante, voce perspicua, confeßione intrepida, & totius vitæ ratione. Ea enim de re extant illustria dicta: Attēdite vobis à pseudoprophetis, &c. Si quis, &c. nec* AVE *ei dicatis. Odiui Ecclesiam malignantium, &* cum

[Margin notes:] ...poc. 18. | ...chlüsselburgius lib. ... catalogi ... ret. in ... dicat.

tum impiis non sedebo, & alia plurima. Eadem Magdeburgenses: *Discernenda sunt opera diaboli, & opera Dei: cuilibet attendendum est, vt sit in Ecclesia* VERA DEI, *& non sit membrum Ecclesiæ malignantium. Exeundum est ex mandato omnipotentis Dei è regno Antichristi, doctrina, inuocatione & publica confessione sub pœna temporalium & æternorum suppliciorum. Clara est enim ista vox Ioannis: Exite ex illa populus meus, &c.* At si Rulichio creditur, hæc multis seculis Dei iussio fuit: Accedite ad Babyloniam meretricem, & illuminamini, quicunque cupitis esse de populo meo.

Magdeburg. in dicatori. centur. 8

§. 21. Quod hoc insuper argumento refellitur: Si semper fuit, eritque vera veræ fidei retinens, spectabilis Christi Ecclesia: ad hanc vtique, non ad Ecclesiam malignantium debuerunt accedere infideles; at semper fuit, eritque vera visibilis Ecclesia Christi: ergo Ecclesia, ad quam debuerunt accedere infideles, est vera veræ fidei magistra Ecclesia. Minorem, cuius solius desiderabitur confirmatio, Lutherus ipse aliique sectarij admittunt, vt vidimus §. 5. & probatur ex præcepto, quo omnes obligantur, vt intra veram Ecclesiam viuant: quomodo enim ad eam se recipere poterunt, qui de ea nihil audiuerunt, nihil viderunt?

derunt? Et tamen, vt Lutheranus Superintendens profitetur, *Necesse est, vt vnusquisque certus sit, quænam sit* VERA *Dei Ecclesia, cui se possit ac velit tuto adiungere, in qua velit audire verbum Dei, vti Sacramentis*, CVM QVA *velit preces iungere & saluari. Fluctuans enim animus non potest serio & vere dicere: Credo Ecclesiam Catholicam.* Et paulo ante ex Magdeburgensibus audiuimus: *Cuilibet attendendum est, vt sit in Ecclesia* VERA DEI. Ergo hæc conspicua notaque sit oportet.

Schlüssel-burgius lo-co cit.

§. 22. Veræ porro Ecclesiæ notas præcipuas esse puram fidei doctrinam, & legitimam sacramentorum administrationem vnanimiter omnes, & Lutheristæ & Caluinistæ decernitis. Lutherus de notis Ecclesiæ primo loco ponit sacrosanctum verbũ Dei; *Loquimur autem*, ait, *de verbo externo per os hominis, vtpote meum aut tuum, sonante. Nam istud in terris tradidit Christus velut externum quoddam signum, vnde Ecclesia ipsius, seu sanctus Christianus populus in mundo agnosci posset.* Secundam & tertiam notas refert baptismi atque Eucharistiæ vsum secundum Christi institutionem. De iisdem Magdeburgenses: *Notæ veræ Ecclesiæ non sunt externa tranquillitas, pax, rerum affluentia: sed verbum Dei sincerum, & sacramenta rite administrata, & confessio pura*

Luth. to. 7. Viteb. an. 57. pag. 19.

Magdeb. centur. 6. in dedicato-ri, pag. 4.

puræ doctrinæ, atq; refutatio libera, ingenua, perspicua eorum, qui contradicunt, hoc est, corruptelas patefacta veritatis comminiscuntur, vel mordicus defendunt. Et Confessio Augustana: *Habet autem Ecclesia proprie dicta, signa sua, scilicet puram & sanam Euangelij doctrinam, & rectum vsum sacramentorum.* Caluinus de visibili Ecclesia scribit: *Eius communionem colere* IVBEMVR. *Proinde quatenus eam agnoscere nostra intererat, Dominus certis notis, & quasi symbolis nobis designauit. Dicimus purum verbi ministerium, & purum in celebrandis sacramentis ritum, idoneum esse pignus & arrhabonem, vt tuto possimus societatem, in qua vtrumq; exstiterit, pro Ecclesia amplexari.* Hæc noui Euangelici de insignibus quibus ornatam esse volunt eam, quam omnes adire debent, Ecclesiam. Adhuc nouior autem Rulichius non veretur asserere Iudæos & infideles ante Lutheri apostasiam DEBVISSE *veritatis cognoscendæ caussa sese recipere* ad Ecclesiam nostram grauissimis erroribus, sua opinione, corruptam, idololatricam, Antichristianam, cui adhærentes *non sunt tanquam Christiani habendi.* Lutherus Papam quid sit, sic definit: *Abominatio (vt Christus Matth. 24 ait) omnis idololatriæ ab omnibus diabolis ex inferni barathro producta.* Et: *Cæcis clarum esse potest, Papatum*

Augustana Confessio art. 7.

Caluinus cap. 8. Instit. Argentorati, an. 1545. pag. 151.

Rulich. in bonis nouis Iesuitarũ, pag. 27.

Luth. to. 7. VVit. pag. 458. & 464.

esse spectrum mendaciorum à Diabolo in Ecclesiam introductum ob hoc, vt nil nisi mendacia, blasphemias, idololatrias in ea pariat, ad fidem & Dei verbum in ea perdendum & extirpandum, & ea occasione omnia rapiat, quæ orbis terrarum (qui ei patet) habet & possidet, & omnes animas diabolo tradat. Et Rulichius à Papistis salutiferam fidem accipere debuisse infideles astruit.

§. 23. Sed misso Rulichio, ex Luthero, Caluino, &c. sciscitemur, quænam superioribus seculis fuerit vera Ecclesia, in qua viguerit pura verbi Dei prædicatio, quam illi vt præcipuam notam, nos tanquam animam seu vitam Ecclesiæ Christi laudamus. Dum non habent, quod respondeant, varia comminiscuntur. Est cum videntur astruere semper claruisse publicos doctores & pastores, cum quorum doctrina, exceptis quæstiunculis ad fidei fundamentum non pertinentibus, ipsi per omnia consentiant. Taceo alios, an non hoc consequitur ex Lutheri eiusque discipuli Hunnij dictis, §. 5. recitatis? Instamus, vbi, in qua vrbe, in qua prouincia vixerunt tales prædicatores verbi, vnum saltem probæ notæ nominate. Vel obmutescunt, vel extra lineam saltant, vel ad aperta dilabũtur mendacia, vt cum Rulichius & Pappus

asse-

asserunt liquidò constare, *magnum illum Ecclesiæ Doctorem Augustinum cum omnibus Augustanæ confessionis articulis consensisse.* Quanta mentiendi libido in Augustinum monachum, monachorum patrem, sacrificium Missæ, venerationem reliquiarum, aliaque nostra dogmata clarè professum? Longius non excurro; vnam do sancti Patris sententiam cum Augustanæ confessionis articulis egregie consentientem. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur:* PRO *ceteris autem commemoratis* DEFVNCTIS *oratur. Iniuria enim est pro martyre orare, cuius nos* DEBEMVS *orationibus commendari.*

Rulsch. libell. cit. pag. 31. Pappus in parallelis, an. 1591. editis.

Aug. serm. 17. de Verbis Apostoli, cap. 1.

§. 24. Interdum expresse fatentur nullam aliquot seculis fuisse Ecclesiam visibilem in qua non horrendi errores publicè docerentur; confugiunt ergo ad inuisibilem Ecclesiam, quæ nunq̃ fidei fundamenta deseruerit. Iacobus Heilbronner: *Negari nequit, quod aliquot seculis, sed non tot, quot aduersarij nominant, præsertim in Occidente* (in Oriente enim florebat Mahometanorum, & Græcorum schismaticorum, atque hæreticorum Ecclesia) *nulla visibilis Ecclesia fuerit; attamẽ Christus semper veram Ecclesiam virorum atq; mulierum, iuuenum & senum, dilectam sponsam*

In Papatu Acatholico, pag 475. prioris edit.

ſam in medio Papatu habuit & conſeruauit. Impudenter, vt omnia, AEgidius Hunnius: *Quod obſtrepũt, ſi Romana Eccleſia non agnoſcitur pro vera & Catholica, ſecuturum, vt nulla vſpiam ſuperioribus ſeculis fuerit in terris Eccleſia: millies ad hoc friuolum argumentum eis ex Scriptura partim, partim ex hiſtoriis eſt reſponſum. Quamuis enim Papa cum ſuis coniuratis Cardinalibus, Epiſcopis, & reliquorum clericorum, vt & aſtipulatorum ſentina & colluuie, non fuerit vera Eccleſia, ſed Satanæ ſynagoga: tamẽ ſub medio papatu, quin etiam extra Papatum, aliquam vere fidelem & electorum Eccleſiam reliquam manſiſſe certum eſt.* Subdit, apud Græcos etiam aliosque ſchiſmaticos manſiſſe Eccleſiam, idque probat ex baptiſmi vſu. Reſponſum vere friuolum. Ciuitatem ſupra montem poſitam veram Chriſti Eccleſiam negant, & neſcio quam inuiſibilem ſibi figulant. Dicite, vnde *certum eſt* ſub medio papatu fuiſſe anno M.D. qui nec ſanctos inuocandos, nec pro defunctis orandum ſenſerint; Miſſæ ſacrificium pro Deo Maocim habuerint, &c.

Hunnius in propoſitionibus de Eccleſia, VVitebergæ an. 1596 excuſis: theſ. 46.47.

§. 25. Laudant miſeri Prædicantes catalogum teſtium Veritatis, in quo mendaciorum alioqui pleno nec vnus Lutherum antegreſſus inuenietur ex prolata hiſtoria referri, qui ipſorum Prædicantium ſententiâ

Hunnius, Schlüſſelburgius, loc. cit. &c.

tiâ

tiâ *vere fidelis*, dici queat. Esto enim aliquod Romanæ Ecclesiæ dogma quis non crediderit, an ideo *vere fidelis* fuerit, tametsi tenuerit alia, vestro calculo, fidem funditus subruentia? Recensentur multi sancti viri, Irenæus, Iustinus, Cyprianus, Hilarius, Basilius, Gregorij Nyssenus, Nazianzenus, Romanus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Paulinus, Seuerus Sulpitius, Chrysostomus, Bonifacius Episcopus Moguntinus, Vdalricus Episcopus Augustanus, Antonius Monachus, Bernardus, Vincentius ordinis S. Dominici, Hugo de S. Victore, Petrus Cluniacensis Abbas, &c. ex fœminis sanctis Elisabeth, Hildegardis, Mechtildis, Brigitta, Catharina Senensis: quos omnes Catholicos, & plerosque monasticæ vitæ cultores fuisse certissimum est. In veritatis testibus habentur & Scholastici Theologi, S. Thomas Aquinas, Petrus Aliacẽsis, Stephanus Brulifer, Ioan. Scotus, Gregor. Ariminensis, Henricus Gandauensis, Gulielm. Ockam: item Guliel. Parisiensis, Hugo Cardinalis, Panormitanus, Ioan. Gerson, Ioan. Taulerus, Trithemius, Keiserspergius, Iodocus Clictouæus, Platina. Dicite an vel vnum horũ pro *vere fideli* recipiatis, quos in Romana

mana vixiſſe Ecclſia eo manifeſtius, quo recẽtius eſt? Præter veteres Romanos Pontifices referuntur non pauci eorum, quos Antichriſti ſedem tenuiſſe declamant ſectarij, Sergius II. Agapitus II. Leo III. IV. VII. IX. Benedictus XII. Ioannes IIX. XXII. &c. quid iſtis cum Luthero, Caluino? idem dico de Imperatoribus Carolo Magno, Carolo Caluo, Carolo IV. Ludouico IV. Henrico IV. V. VII. Othone Magno, Friderico I. II. Maximiliano I. Rodolpho Sueuiæ duce, S. Richardo, Henricis I. & II. Angliæ regibus, Carolo V. rege Galliæ. ex his nonnulli ſchiſmati, iidemque moribus improbis erant, ſed à Romanæ Catholicæ fidei profeſsione nunquam receſſerunt. In Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus fatemur numerandos Vigilantium, Petrum de Bruis, VViclephum, Iconoclaſtas, Beſeritas, VValdenſes, Huſsitas. an hos veſtro catalogo inſertos auſitis compellare *vere fideles? Veri* ergo *fideles* Lutheranis erunt Caluiniſtæ, Zvvingliani, Anabaptiſtæ, Trinitarij, quos in longè pluribus fidei articulis conſentientes ſibi habeat, quam Iconomachos veteres, Huſsitas, &c. Dignos teſtes Flacciano catalogo, in quo corraſum eſt, quicquid immane in Romanos

nos Pontifices odium ſuggeſsit; quare in teſtibus veritatis numerantur. *Schiſma exortum circa annum Domini M. CC. LV. Edita ab Oſiandro prophetica picturæ; perelegãs poëmation, titulo Pœnitentiarius aſini; epiſtola Luciferi tenebrarum principiꝗ; Papaſellus pictura monſtri ex aſino aliiſque animalibus conflati, quam Philippus Melanchthon edidit; Monſtrum Babylonis, poëma titulo, Inuentiua in monſtrum Babylonis; Fabulæ Æſopi cum pulchris picturis, ſæpe ibi videre eſt lupos cucullatos concinantes.* O catalogum feritatis? hoc ferant viri cetera eruditi, vt cum vera Chriſti Eccleſia ſuperiorum ætatum inquiritur, à Prædicantibus Flacci Illyrici hominis ipſorum Lutheranorum ſuffragio hæretici catalogus ex mendaciis, fraudibus, & vaniſsimis phtyariis conſutus commendetur? CERTVM CERTVM eſt vociferantur ſemper fuiſſe vera fide imbutos, & hos ex catalogo pleno manifeſtis Catholicæ Eccleſiæ alumnis, Romanis Pontificibus; adiectis hæreticis quibuſdã, ſchiſmaticis, hominibus improbis (nec Machiauello omiſſo) libellis famoſis, fabulis colligere iubemur.

§. 26. Præterea memorant occultos fideles, qui ſub papatu gemuerunt. Auritos homines? qui ſuperiorũ ſeculorum ſuſpiria,

ria, eaque tam submissa adhuc audiunt. Nam, vt scribit Heilbronner: *Ecclesia adeo fuit occulta, vt non in claram vocem eruperit, sed interim ob corruptum Ecclesiæ statum ingemuerit.* Ad vere fideles minime sufficit ingemere, si publice se Antichristi membra professi, Christum in Missæ sacrificio è genu (quæ vobis idolomania est) salutarunt; eundem in mortis periculo sumpturi prius adorarunt, quam appellatis artolatriam. Et quis inuentus est ex multis millibus, qui hæc aliaque vestro calculo, Antichristiana non fecerit? An vestra inuisibilis Ecclesia erant visibiles hypocritæ? Audite quid de his Lutherus ad Albertum Comitem Mansfeldium anno M.D.XXIII. scripserit: *Fuerunt hæretici Priscillianistæ, etiam sancti Augustini tempore, qui docebant veritatem tacendam & negandam publice esse coram tyrannis & impiis, sed clanculum docendam atq; credendam, qua in- indigni essent tyranni & impij, nec mittẽdas margaritas ante porcos, nec dandum sanctum canibus; sed illi reuera id faciebant, quo effugerent persecutionem & crucem, ac vitæ bonorumque amittendi periculum. Verum Christianè viuere non est viuere Priscillianistice, cum vtroque humero arbor portatur. Quare Priscillianistæ sunt damnati, aperte contrarij verbis Christi: Qui me negauerit, negabo &*

Heilbron. lib. cit. pag. 527.

Lutherus in epist. quæ habetur in scriptis Lutheri per Aurifabrum Germanice editis, tom. 1 pag. 137.

Matth. 7.

Matth. 10.

& ego eum. Nec satisfacit, si quis dicat, se in omnibus articulis Christum eiusq; verbum confessurum, modò vnum vel alterum, quæ tyrannus meus non vult ferre, reticere liceat, vt, vtramq; speciem sacramenti & similia. Nam qui Christum negat in vno articulo vel verbo, eum abnegat, qui in omnibus abnegatur, quandoquidem tantum vnus est Christus, idē in omnibus verbis suis. Hæc Lutherus Christianis inuisibilibus, qui non in cryptis latitarunt, non in speluncas & saltus se abdiderunt, sed in medio papatu, inter Antichristi satellites & aulicos, pacificè vixerūt, clam gementes, publicè cum lupis vlulantes. Et hi fuerint dilecta Christo sponsa?

§. 27. Sed & ficti huiusmodi fideles videntur solum in Vtopia habitasse; plane fictitij, Prædicanticum commentum. Nam à vere credentibus instructi in eadem fide essent filij, ab his nepotes, & sic longa serie integræ familiæ veram fidē propagassent, nec integris latuissent seculis, cecidisset subinde verbum Dei in terram malam, degenerasset à parentibus filius, à patrefamilias seruus, & fidei magistrum aliis prodidisset. Hęc euitari nequeunt, vbi veri Christiani inter infideles latere volunt, vt patet ex omnium temporū historiis. Item quis credat iuuenes & senes, viros & fœminas

iam in Oriente esse, qui contra Patriarchas suos, & totum Græcorum clerum schismaticum, imo hæreticum, fidem puram occultè retineant, Spiritum sanctum à Filio quoque procedere sentiant? &c. Commētum est in populo plures aliter credidisse, quàm vniuersi toto orbe Christiano Episcopi, pastores & doctores tradiderint: hos enim omnes in lupos esse transformatos admittunt Prædicantes; *Multis annorum centuriis,* ait Rulichius, *doctores tantum fuerunt mancipia Papæ, iurati eius serui, nullum verbum aduersus eum loqui aut scribere ausi.* Addit Heilbronner: *Idem accidit ante incarnationem & prædicationem Domini nostri Christi, quando nullus purus doctor in populo Israël, multo minus in toto reliquo orbe fuit.*

ulich. in nis nouis sueticis, g. 10.

c. Heil- on. in pa- tu Aca- olsco, g. 486.

§. 28. Quomodo erga vera semper durauit Ecclesia? quæ seu visibilis, seu inuisibilis esse nequit sine veris doctoribus; sicut nec corpus integrum sine oculis, capite; nec exercitus sine ducibus; nec vlla cōmunitas sine legitimo magistratu. Sed & nostra vos vrget quæstio, ad quos fidei discendæ caussa accedere debuerint Iudæi & Gentiles, non ad oues, præsertim soli Deo notas atque inuisibiles; non ad pastores iam transformatos in rapaces lupos; ergo infi-

infidelium conuersioni nullum toto orbe patebat ostium, testante Apostolo, fidem non acquiri nisi ex auditu legitimi prædicatoris. An vobis placet Rulichij sententia, in quam his comprehensus angustiis descendit? Placandus vobis erit Lutherus, ne repetam alia, qui Pontificios ad docendum penitus inertes atque inhabiles pronunciat. *Extra omnem curam & dubitationem scire debes, nec Papasinum* (quinti Euangelistæ modestiam!) *nec Romanorum sycophantarum & nebulonum scholam vnum ex decem decalogi præceptis intelligere, neq; vllam orationis Dominicæ petitionem, neque aliquem articulorum symboli Apostolorum; neque scire qui sit verus sacramentorũ sensus & hypothesis, aut ad quem vsum debeant adiungi & aptari, aut quæ vita sit hominis Christiani, & quæ bona opera.*

Rom. 10.

Luth. to. 7. VVit. pag. 470.

§. 29. Hunnius forsitan infantes infidelibus magistros constituet: *Sub medio papatu,* scribit, *mansisse nihilominus Ecclesiam veram, liquet exemplo paruulorum, qui baptizati in infantia, euocatiq; prius ex hoc seculo, quam malitia peruerteret intellectum, saluati sunt; & non vltima fuere pars Ecclesiæ.* Et prius docuerat ratione infantum apud Græcos quoq; schismaticos mansisse aliquã veram Ecclesiam. Omnino pars Ecclesiæ militantis, de qua

Hunnius in propos. de Ecclesia, thesi 52.

Idem thes. 49.

loquimur, sunt infantes baptizati, dum hic viuunt (nam denati triumphanti nascuntur Ecclesiæ) sed pars inferior, præter quam opus est aliis dignioribus, qui oris, oculorum, &c. functiones obeant, de quo Apostolus: *Corpus non est vnum membrum, sed multa. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, &c.* & ad hanc visibilem, variis muneribus illustrem Ecclesiam infantes vbiuis locorum pertinent; membra sunt Romanę ŒEcumenicæ Ecclesiæ licet inter Turcos aut Tartaros viuant, præditi scilicet gratia sacramenti, quod ab hæreticis, Iudæis, & paganis valide confertur; non tamen illis, sed soli veræ Ecclesiæ fructificat, quam noua prole auctat: non attenditur à quo impressum, sed cuius sit signaculum, quod vni sponsæ suæ reliquit Dominus. Quare non admittimus inter hæreticos esse Ecclesiam, etsi baptismum integre conferant; quia infantes non sunt Ecclesiæ, sed pars Ecclesiæ; non corpus, sed pars corporis mystici: pars vero sunt per spiritualem cum vera Ecclesia compagem, non per vllam cum hæreticis coniunctionem, quibuscum solum secundum corporalem

1. Cor. 12.

præ-

præſentiam ſeu habitationẽ degunt. Quis dicat in media Turcia eſſe verã Eccleſiam, quia inter Turcas inueniuntur aliqui mercatores, aut alterius ſortis Catholici ſine paſtoribus, atque Eccleſiaſtici regiminis forma? haud maior eſt infantum cum hæreticis ſocietas, aut in fide conuenientia.

§. 30. Pars dignior, ſeu Prælati Eccleſiæ ſæpe Eccleſiæ nomine compellantur, quia illam repræſentant, eiuſque vices gerunt. Sed hoc commune haud eſt infantibus, quicquid velit Hunnius, cuius integrum libet audire reſponſum de perpetua duratione Eccleſiæ: nos viſibilem, quæ regat ſeu paſcat, doceat, infideles recipiat inquirimus. Quid Hunnius? *Quod autem Papiſtæ ſibi nominari petunt eos, & ceu digito demonſtrari, qui veram Dei Eccleſiam anteactis ſeculis repræſentarunt; impudenter faciunt. Abunde namque ſufficit primum nominaſſe baptizatos infantes. Sufficit libri in regno Papiſtico publicè recepti (hortulum animæ dico) teſtimonio confirmari, moribundos à Papalium indulgentia Miſſarum, propriorum & alienorum operum, aliarumq; nugaciſſimarum rerum præpoſtera fiducia ad ſolius paſſionis & mortis Chriſti meritum ſola fide apprehendendũ, fuiſſe reuocatos. Sufficit nobis indubitata Spiritus ſancti promiſſio edita de conſeruatione*

Hunnius, theſ. 62. 63. 64.

electorum Antichristi sub mediis tenebris horribilium errorum Antichristi, Matth.24. Luca 8. De infantibus iam dictũ est; & infans est prædicans, qui eos ad Ecclesiam repræsentandam *abundè sufficere* blatit. Longè infantior ad Hortulum animæ confugit, vt probet Catholicos olim in Lutherana fide mortuos esse, quibus acclamabatur, vt indubitato crederent, quod non possint saluari, nisi per mortem & merita Christi, in hæc omnem spem suam collocarent. si ista Lutheranam testantur fidem, & hodie Catholicissimus quisque Lutheranus fuerit. quis enim nostrũ ignorat sine Christi meritis nullã nobis salutis spem esse? illa verò apprehendi sola fide, per eaque excludi Indulgentias, Missæ sacrificium, opera nostra, non ex Hortulo animæ flosculus, sed ex hæreticorum senticeto olidus surculus est. Et rectè de homine mortali dicimus, eum vitam nõ seruaturum, Nisi comedat; quam stolide inferretur non potum, non somnum, non ipsam cibi digestionem, & in sanguinem cõuersionem, nutritionem, nec quicquam aliud vitæ tutandæ necessarium esse? Similis est Prædicantium syllogisatio. Nemo saluatur nisi per merita Christi; ergo ad salutem nihil conferunt no-

nostra opera, aut alia media quibus Christi merita nobis applicantur, adeoque nec fides, nec sacramenta (quæ Sectarij exclusa nolunt) quia non sunt passio, non actio meritoria Christi. Hoc verum est, nihil ad salutem æternam nobis prodesse, quod Christus non promeruerit; quo modo & sacramentorum effectus, & sacrificij propitiatio, & bonorum operum vis meritoria ac satisfactoria, sicut & orationis impetratoria. (quam quis negauerit?) in meritis Christi deputantur, quia per eius merita salubriter habẽtur. In hæc potius, quàm in nostra opera sperandum esse, imo tutissimo in solam Redẽptoris misericordiam, eiusque obtinendæ media, non in nostram innocentiam aut iustitiam nos confidere, communis Catholicorũ sensus est, & docetur inter cæteros à Cardinalibus Hosio & Bellarmino: non quod nulla sint hominum merita, vel quod in ea nonnihil fiducię ponere sit impium, sed quia mea aut tua non tam certa sunt, & ab inanis gloriæ periculo, aut superbiæ barathro longius abest, qui se tanquam seruum inutilem, egenum, miserum in solum Deum proiicit; minime spretis aliorum seu in terris viuẽtium, seu cum Christo regnantium sanctorum

Hosius ca. 73. confess. Catholicæ. Bellar. lib. 5. de iustificat. cap.

rum interceſsionibus, quæ noſtram in Deum ſpem nihil imminuunt, ſed excitãt, roborant, & ceu fideiuſſorum acceſsione certam reddunt.

Quare in Hortulo animæ ad beatiſsimam Virginem, & alios ſanctos piæ plurimæ habentur precatiunculæ; nec vllus vnquam ſomniauit eas reuocari, damnari per monita quibus moribundi inſtruuntur. Hortulo illo vſi ſunt multi, atque etiamnum vtuntur, legerunt moribundorum iuuandi inſtitutionem, à Catholica de bonis operibus, Indulgentiis adeo in Hortulo commendatis, tremendi ſacrificij fructibus, doctrina nec hilum diſceſſerunt. Et quam ſtultum eſt ſibi perſuadere, valentes Miſſę decenter aſtitiſſe, Indulgentiarum theſaurum, qui Chriſti potiſsimũ abundans redemptio ac meritum eſt, pie quæſiuiſſe, & in mortis articulo aliam fidem induiſſe ob paucula verba iam ante trita, & ab iis ingeſta, quos ſcirent Miſſam, Indulgentias, &c. ſancte credere? Nimis apertè vero ſe deploratam cauſam agere prodit, qui ſe Eccleſiam ſuperiorũ ætatum oſtenſurum tam tumide profeſſus, infantes & moribundos repræſentat, quaſi nullus ratione atque integris corpore & ſenſibus

bus vſus fidei puritatem tenuerit, niſi forte occulti hypocritæ,qui aliam fidem corde tenerent, aliam in facie Eccleſiæ profiterentur;de quibus ſatis dictum eſt. Hunnius ex ſcriptura conſtare etiamſub Antichriſto conſeruatum iri electos; citat caput 24. Matthæi, octauum Lucæ. nihil Lucas, apud Matthæum omnino id docet Dominus, quis negat? hoc quæritur, an electi ſint habitaturi in medio nationis prauæ, & corde veræ fidei adhæſuri; ita vt lateant Antichriſtianos. & huic commento pateſcit reſiſtere ſcripturam, ex qua habemus Eccleſiam Antichriſti tempore nõ quidem numero, ſed virtute, fortitudine Chriſtiana fuſo pro religione ſanguine, Elię & Enochi prędicatione fore clariſsimã. Nam Antichriſtus,*faciet omnes puſillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.* quomodo obſcuri ſint electi, qui magna conſtantia characterem impij abominabuntur? eos vero, qui acceperint characterem beſtiæ, teſtatur ſcriptura occiſum iri à filio Dei gladio procedente de ore ipſius.De ſanctis,qui ſub mundi finem clarebunt ſcribit Græcus Pater & doctus Andreas Cæſareenſis Archiepiſcopus ex-

Apocal.13.

Apocal. 19

Andreas Cæſar. cap. ap. 48. cõment. in apocal.

pendens verba Apocalypſis, ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt: *Oſtenditur per hæc eadem quoq; permultos tempore illo, quo Antichriſtus bacchabitur, paſsim occurſuros, qui propter ſingularem in fide conſtantiam, prophetiæ donum conſequentur*: quod vtiq; nec ſub modio condent, nec in terram defodient, nec eo vſi obſcuri eſſe poterunt. Fulgebit itaque vt in fornace aurum, ita ſub Antichriſti perſecutione Eccleſia, ad quã plurimi Iudæorum confluent, vt ex ſcripturis ſancti Patres tradunt. Sed vos, ô Lutherani, Caluiniani, &c. necdum explicaſtis ad quam Eccleſiam anterioribus ſeculis ſe recipere debuerint Iudæi & Gentiles, niſi ad noſtram, & tamen eam vt Antichriſti ſedem paradigmatizatis, quæ penitus aſyſtata ſunt.

ALTERA

Altera Quæstio

AN CERTVM SIT, FALSAM ESSE ECCLESIAM, QVAECVNQVE DESTITVITVR AB APOSTOLIS AD nos vſque perpetuata Epiſcoporum ſucceſsione.

PARAG. 31. Accipimus, & veriſsimum eſt Iudæos & Gentiles ſuperioribus ſeculis, quo à ventura ira fugerent, ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſinum cõfugere debuiſſe: noſtra ætate contendunt eadem nati Euangelici ad ſe accedendum eſſe omnibus, quibus æterna ſalus cordi eſt. Hæc vox Lutheranorum, Caluinianorum, Zvvinglianorum, Anabaptiſtarum, Trinitariorum, & ceterorum ſectariorum, qui cùm inter ſe implacabile bellum gerant, in hoc conueniunt, quod Romanam Eccleſiam Antichriſti regnum eſſe criminentur, & ſuam quique ſpecum indigitet veram Chriſti Eccleſiam. Agedum, rem ſecundum lineam à ſanctis Patri-

tribus ductam examinemus; qui nobis hanc ſuppeditant demonſtrationem:

Quicunque cœtus, non habet Epiſcoporum ſuorum ſeriem ad Apoſtolos vſque continuatam, vel in fide non communicat cum cœtu talem Epiſcoporũ ſucceſsionem habẽte, is non eſt vera Chriſti Eccleſia:

Sed cœtus Lutheranorum, Caluiniſtarum, &c. nullo modo habet continuam Epiſcoporum ſucceſsionem; nec per ſe, nec per communicationem cum altero cœtu: Ergo non eſt vera Chriſti Eccleſia.

§. 32. Pro declaratione Maioris obſeruetur PRIMO, ſucceſsionem perfectam duo includere; vnum eſt ſenſibilis ſubſtitutio vnius in alterius vitâ aut ſaltem munere defuncti locum; alterum eſt, conſenſus in eadem doctrina ſeu fide, qui per ſe non quidem ita ſenſibilis, multis tamen nec obſcuris ſignis notus eſſe ſolet. quando enim hæreticus Catholico in eadem ſede ſucceſsit Epiſcopus, quin oues lupum à legitimo paſtore diſueuerint? vtrumque porro perfectæ ſucceſsionis nomine contineri ſignificat S. Irenęus martyr, cum ſcribit: *Presbyteris obaudire oportet his, qui ſucceſsio-*

ren. lib. 4. ap. 43.

cessionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt. Sed enim vt veritas clarius appareat, hoc loco inprimis de externa successione loquamur; de doctrinæ consensione postea inquiremus. Etsi enim fieri potuisset, vt alicubi successio illa quasi corporalis inueniretur sine charismate veritatis, hoc tamen charisma in nulla Ecclesia Apostolos consecuta reperire est, quæ tali successione deficitur, adeoque doctrinæ integritas à sensibili successione omnino est inseparabilis, & consequenter hoc ipso euincitur veritatem fidei minime apud illam Ecclesiam inueniri, quam claret multis seculis nullum Episcopum seu pastorem legitimum habuisse. SECVNDO obseruabitur, nos legitimam OEcumenicorum Episcoporum successionem, lucidissimum in Ecclesia sidus, non affigere loco, præsertim si de residentia, seu præsentia prælati agatur. Vixerunt quidam Romanorum Pontificũ in Galliis, Romani tamen erant Episcopi, & si quis cõtẽderet fieri posse, vt Romanis Pontificibus in OEcumenica cura pastorali succedat aliquando alterius loci, non Romanus Episcopus, per hoc linea Generalium

ralium Christi vicariorũ nec incideretur, nec truncaretur, aliquanto tamen micat illustrius, si in vrbis solum Episcopis continuetur, quod Diuina ordinatione constitutum esse haud temerè creditur. TERTIO reddenda est ratio, cur maiorem posuerim disiunctiuam, nam multæ Ecclesiæ & Episcopatus pluribus post Apostolos seculis instituti sunt, ac proinde primum Episcopum nec Apostolum, nec Apostolorum discipulum habuerunt, sed quia partes seu membra sunt eius Ecclesiæ, in qua perpetua durat successio, eiusdem successionis consortes censentur, vt sapienter annotauit vetustissimus Tertullianus; qui de eiusmodi Ecclesiis scribit: *Licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, vt multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.* Et eadem est ratio Ecclesiarum, si quæ ab Apostolis institutæ, à fide defecerunt, ad eam postliminio reuersæ.

[T]ertull. [ca]p.32. de [pr]æscript.

§. 33. Maiorem syllogismi nostri propositionem hactenus declaratam, certissimã esse modo breuiter ostendemus. Principio ex sacris litteris, quæ nos docent semper

in

in Ecclesia futuros Episcopos, doctores, & pastores, ex quo consequitur nec decennium, nec vicennium nedum integrum æuum, pluraue secula fore legitimis Episcopis, & Prędicatoribus verbi Dei orba. Scripturã audiamus. Primos Ecclesiæ suæ doctores in mundum mittens Saluator noster; *Euntes ergo docete omnes gentes*, eisdem promittit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Ergo & Apostoli omnibus diebus sint oportet vsq; ad seculi consummationem; neque enim semper cum Petro esse quis potest, si Petrus aliquando non sit; & cum constet Apostolos iam dudum ad cælum translatos esse, ad eorum etiam in pastorali officio successores & hæredes verba Christi pertinere debent. si verò Dominus semper cum Apostolorum successoribus mansurus est; nullo vnquam tempore successores defuturos euidens relinquitur. Idem supponit Apostolus, cum tradit fidem esse ex auditu prædicatoris legitimè vocati: qualis si nullus tot seculis fuisset, Ecclesię propagandæ extra paruulos via interclusa esset. quod nemo admittit. Prædicatores porro, vt & pastores legitimi sunt inprimis Episcopi, tum alij ab his missi. Expresse alibi Paulus de

Matth. 28.

Rom. 10.

Ephes.4. de Christo: *Ipse dedit, &c. pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei.* En donec numerus electorum in fine mundi compleatur, semper Ecclesia habebit pastores, & doctores; non eosdem, sed cum priores morte prohibeantur manere, succedunt alij.

§.34. Secundo, testatissima est Maior nostra per sanctos & vetustos Patres, qui perpetuam Episcoporum successionem tenuerunt inuictum esse argumẽtum, quo à veræ Ecclesiæ censu repellerentur, omnes hoc insigni & prærogatiua destituti cœtus. & quia illustrior, ac nunquam defectura, adeoque constantissima est Romanorum Episcoporum successio, hanc clarissimi toto orbe Doctores hæreticorũ insultibus ceu murum aheneum opposuerunt; eorumque tàli successione non firmatam maceriam leui brachio deiecerũt. S.Irenæus, enumeratis Romanis Pontificibus à S.Petro vsque ad S. Eleutherium, qui tunc Ecclesiam regebat, addit: *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos. Et est* PLENISSIMA *hæc* OSTENSIO *vnam & eandem viuificatricem fidem esse;*

Irenæus lib.3.cap.3.

quæ

quæ in Ecclesia ab Apostolis vsq; nunc sit conseruata. Et: *Reliquos vero qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere oportet, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos.* Eodem prouocat antiquissimus Tertullianus: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Quare Marcioni itidem Romanorum Pontificum seriem à Petro vsq; ad Anicetum, sub quo Marcionis virus reuelatum est, obiicit. Eiusdem S. Aniceti tempore Marcellina Carpocratianã, quæ & Gnosticorũ dicta, hæresin propagauit, cui itidem Romanorum Antistitum catalogum vsque ad Anicetum opponit S. Epiphanius: *Per hæc enim,* inquit, *semper claritas ostenditur.* Idem facit S. Optatus Episcopus Mileuitanus aduersus Parmenianum hæreticum scribens, Siricio Petri cathedram tenente, ad quem vsque Pontificem à principe Apostolorũ exorsus deducit Romanæ Ecclesiæ successionem. Eâdem sæpius gloriatur S. Augustinus; ad Generosum

Idem lib. cap. 43.

Tertull. cap. 32. de præscript.

Idem lib. Carminũ aduersus Marcionẽ

Epiph. hæresi 27.

Optatus lib. 2. contra Parmenianũ.

August. epist. 165.

E scri-

ſcribens contra Donatiſtas, diligenter à S. Petro ad S. Anaſtaſium, tunc Eccleſiæ præſidem, ordinem ſucceſsionis pertexit. iiſdem alibi accinit:

lem in ſal. con- a partem Donati.

Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede;
Et in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte:
IPSA eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

§. 35. Si ante 1200. 1300. 1400. annos tantoperè ſuſpexerunt doctiſsimi Patres non adeo protenſam Pontificum duodecim, quatuordecim, quadraginta lineam, quis in decimũ ſextum perpetuatum ſeculum, tot interim frementibus & occidentibus hæreſibus, non admirabitur, ipſis oculis intuitus in hac cathedra compleri Diuinũ promiſſum: *Portæ inferi non præualebunt*. quis tam inimicus veritati ſit, vt nouorum dogmatum præcones audiat, & Petri ſedem eſſe Antichriſti regnũ firmiſsimè credat? Sed ad rem propius, relinquamus hoc, vtrum Romana Eccleſia Epiſcoporum ſucceſsione eminens ſit vera Eccleſia, hoc indubitatum fuit veteri Eccleſiæ, aut hæreſin aut ſchiſma fouere omnem cœtum, qui ab Apoſtolis deſcendente ſummorum ſacerdotum ſeu Epiſcoporum ſucceſsione deficeretur; alioqui non tanta confidentia exegiſ-

egiſſent; *Euoluite ordinem Epiſcoporum; Numerate ſacerdotes, &c.* ſi hæreticis fas fuiſſet reſpondere veram Eccleſiam non dependere à ſucceſsione, ſe Apoſtolorum inhærere doctrinæ & ſcriptis. Sed fortiſsimi domus Dei propugnatores aduerſus eiuſdem hoſtes hoc nimis penetrabile telum intorquent; Numerate Epiſcopos veſtros ab ipſis Apoſtolis, ſi in Apoſtolicarum Eccleſiarum cenſu eſſe vultis. Quod ſi Marcioniſtæ, Donatiſtæ, &c. hæreſeos aut ſchiſmatis conuicti ſunt, quia ſe Apoſtolorum ſenſa integrè tenere credebant valere iuſsis intermediis duorum, trium aut quatuor ætatum magiſtris & Epiſcopis, quanto iuſtius in hæreticis deputantur, qui immani ſaltu, ſuſque deque habitis, quotquot à mille imo ſeſquimille annis Eccleſias rexerunt, docuerunt, Apoſtolorum ſe diſcipulos iactitant.

§. 36. Si filij Apoſtolorum eſtis, numerate maiores veſtros, quandoquidem Apoſtolis longè poſteriores non ἀμύσως, abſque vlla deſcendētium ſeu nepotum linea progeniti eſtis. Si quis hodie gloriaretur ſe Caroli Magni filium, ab eo iure exigeretur, vt ordinem parentum ſuorũ ad Carolum vſq; deduceret, & inſanus foret, ſi nullum

Caroli nepotē nominare posset in suis parentibus, sed Caroli se filium esse clamaret. Et tamen id faciunt Prædicantes: Petimus, edite vestrā ab Apostolis successionem, si Apostolorū hæredes estis, qui aui, q proaui, q gentis vestræ maiores sunt, an mentimini genus Apostolicū? Acceditis scilicet *Ecclesiæ Christi, & Apostolorū corde, voce, totaq; religione*, vt Pomeranorū Superintēdens prædicat: & recens exclusa introducitis dogmata. Neuburgensis Superintendens ampullatur: *Primo sistimus vnicum & summum nostrum à cælesti Patre nobis omnibus præsentatum & commēdatum Doctorem Christum Dei & Mariæ filium: sistemus eius angelum & præcursorem Ioannem Baptistam: sistemus quatuor Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem: sistemus S. Petrum & S. Paulum eximios Apostolos & lumina Ecclesiæ, insimul promittimus, nos victos daturos manus, nisi ex illorum claris & incorruptis verbis ostendamus, quod ij omnes in omnibus & singulis fidei articulis idem docuerint, quod nos docemus.* Et hæ pollicitationes communes Lutheranis, Zvvinglianis, Caluinistis, Anabaptistis, Stācaristis, Tritheitis capiunt incautos, cuiusmodi Manichæorum promissis, rectius apertis mendaciis se illectū fatetur S. Augustinus, nimirum *promissum aper-*

[S]chlüssel-[b]urg. lib. 8. [ca]talogi [h]æret. in [pr]edic. [L]uc. Heil-[b]ron. in pa-[r]atu ca-[t]holico, [p]ag. 488.

[A]ug. cap. 1. [de] Vtilita-[te] credēdi.

apertum & sincerum verum tenere atque audire cupientem. Sed cum animaduerteret *ipsos plus in refellendis aliis disertos & copiosos esse, quã in suis probãdis firmos & certos manere* ipsa promissionis fallacia & impudentia eum ab hæreticis abalienauit. Effrons sanè Heilbronneri promissio mendacij manifesta est. Apostoli *claris verbis* negauerint, Petrum esse Apostolorum principem, Christi vicarium; claris verbis tradiderint, continentiam professis integrũ esse ad nuptias conuolare, aliaque sexcenta? Verba Apostolorum tenent pleræq; omnes sectæ, sed sensum adulterant; apud vos solum genuinam interpretationem esse repositam, nemo prudens crediderit, qui aduerterit vos ab Apostolorum successione abscissos, adeoque extra lineam legitimorum ministrorum non vocatos currere, quem pseudoprophetarum & falsorum magistrorũ characterem esse luculenter probatum est.

§. 37. Idem non obscurè pluribus locis tradidit Lutherus; hunc Prophetam vestrum audite, scribit de visibili Ecclesia: *Quinta externa nota Ecclesiæ est ordinatio seu vocatio Ministrorum Euangelij seu certorum munerum administratio. Nam Ecclesiæ opus est Episcopis, pastoribus, seu concionatoribus, qui tum publice tum*

Idem to. VVit. pag 150.151.

rum priuatim supra dictas quatuor partes (verbum Dei, baptismum, Eucharistiam, & claues) *seu sacra administrent, porrigant, & exerceant Ecclesiæ nomine, multo vero magis propter institutionem Christi, sicut S. Paulus ait Ephes. 4. Accepit dona in hominibus, & dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores ac Doctores, alios Gubernatores, &c. Quod si cessarunt iam Apostoli, Euangelistæ & Prophetæ,* NECESSE *est alios ipsis* SVCCESSISSE, *& posthac successuros esse vsque ad finem mundi. nam Ecclesia duratura est vsq; ad consummationem seculi.* Atqui *Ecclesia non potest esse sine huiusmodi Episcopis, Pastoribus, Concionatoribus & Sacerdotibus; nec ipsi contra sine Ecclesia. Ambo coniuncti sint* OPORTET. Et in posteriore super epistolam ad Galatas commentario de vocatione ministerij docet eam à Deo esse debere; quod mox declarat: *Est diuina vocatio duplex, altera mediata, altera immediata. Deus vocat* NOS *hodie* OMNES *ad ministerium verbi, vocatione mediata. hoc est, vocatione, qua fit per medium, id est, per hominem. Apostoli vero immediatè vocati sunt ab ipso Christo, sicut Prophetæ in veteri testamento ab ipso Deo. Apostoli postea vocauerunt suos discipulos, vt Paulus Timotheum, Titum, &c. qui deinde Episcopos, Tit. 1. Episcopi suos successores vocauerunt. Ea vocatio*

dem to. 5. Viteberg. ag. 376.

tio durauit VSQVE *ad nostra tempora, & durabit* VSQVE *ad finem mundi. Estq; mediata, quia per hominem fit, & tamen diuina est.* Hæc à Luthero lucidissima veritas expressit.

§. 38. Sed non immemor suæ conditionis, qui ad inaudita in Ecclesiis dogmata proseminãda à nemine Episcoporum vocatus esset, orthodoxè assertum mox hæresis fermento corrumpit. *Sic quando Principes aut Magistratus, vel ego, aliquem vocamus, is vocationem habet per hominem. Et hæc est generalis post Apostolos vocatio in orbe terrarum, neque est mutanda, sed magni facienda, propter fanaticos homines, qui eam contemnunt, & iactant aliam meliorem, qua à spiritu se impelli dicunt ad docendum. sed mentiuntur impostores.* quorum nostris temporibus Coryphæus Lutherus; iã iam dixerat; ab Episcopis vocatos eorum successores; nunc vocandi auctoritatem politicis magistratibus, & sibi ipse transscribit, qui extra Episcoporum censum erat. Accurrat Neuburgicus Superintendens, & *ex claris Apostolorum verbis* demonstret, ministros Ecclesię vocatos esse à ciuilibus principibus, ordinatos sine Episcopo. Apostoli Episcoporum patres, suos discipulos constituerunt Episcopos; Paulus Timotheum Ephesi, Titũ in Creta: & mon-

 strum

ſtrum ſemper in Eccleſia habitus eſt, à nemine Epiſcoporũ ordinatus Eccleſiæ paſtor. *Epiſcoporum ordo*, ſcribit contra Aërium S. Epiphanius, *Patrũ generator eſt; Patres enim generat Eccleſiæ: Presbyterorum vero non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Eccleſiæ; non tamen Patres, aut Doctores.* Ad mactandum ergo inſtar furum & latronum, nõ per oſtium ingreſsi ſunt quotquot ſuam vocationem, ſeu ordinationem Luthero aut etiam ſecularibus principibus acceptam referunt.

Epiphan. [h]æreſi 75.

§. 39. Miſerabiles Sectarios noſtros, qui tantũ abeſt, vt ſucceſsionem Epiſcoporũ edere poſsint, vt pleræq; ſectæ nec vnum Epiſcopũ habeant aut vnquam habuerint. Ariani, Nouatiani, Neſtoriani, Donatiſtæ habebant Epiſcopos ritu Catholico ordinatos ab aliis Epiſcopis, ſed extra Eccleſiam eſſe arguuntur à SS. Patribus, quod à perpetua Epiſcoporũ ſucceſsione defeciſſent. quid faciemus Lutheranis, eorumq; ſimilibus, qui nullos omnino Epiſcopos, mimos tãtum & ſimios Epiſcoporum habent? ſucceſsione illos deſtitui, quæ noſtri ſyllogiſmi Minor, ſeu altera propoſitio erat, vt ſol in meridie, clarum eſt: proba & euidens concluſio, ac digna, quam accuratè

ratè perpendant, qui cum Catholica Ecclesia non congregant, nisi sempiternam salutem in postremis habeant.

Quæstio tertia:

VTRVM ROMANA ECCLESIA A VERA FIDE, QVAM OLIM TENEBAT, ALIQVANDO defecerit.

PARAG. 40. Romanam fidem in vniuerso orbe annunciari attestatur Apostolus, Romæ multos sanctos sedisse Episcopos liberè profitentur ipsi Romanæ Ecclesiæ aduersarij, quam tandem aiunt variis superstitionibus & horrēdis erroribus corruptam, Antichristi metropolin factam esse; adeoque in vanum de perpetua Episcoporum successione gloriari. Hoc priuatæ cuiusque personæ ius est, vt de crimine postulata accusatorem vrgeat ad locum, tempus, aliasque facti circumstantias edendas, in quibus si

Rom 1.

mutus aut inconstans sit, ipse accusator reus fit. Diuino spiritu repletus Daniel Susannam quidem insontem, senes verò adulteros esse iudicauit, quia hos in nominanda arbore, sub qua illam peccasse perhibebant, dissentientes reperit. Incusatur immanium sacrilegiorum, & blasphemiarum per orbem diffusa Christi Ecclesia: Dicite, instamus, inueterati malorum, quo loco, quo tempore, qua via & modo vera Christi Ecclesia facta sit Babylonia meretrix: nisi enim vetustam ab ea adulteratã esse fidem probetur, explicatis circumstantiis; non opus est alio argumento, sycophantæ estis, criminatores Christiani orbis estis.

§. 41. Agite tamen, ex erroribus, quæ vestra querela est, grauissimis deligamus duos, Missæ sacrificium, quod ipsissimum Antichristi idolum esse criminamini, & Sanctorum cum Christo regnantium inuocationem, quam ceu sacrilegam abominamini; respondete nobis, vtrum hæc dogmata eodẽ tempore in vniuerso Christiano orbe recepta ab omnibus sint nemine reclamãte, an vero certo loco à quibusdam, vt fit, disseminata, latius dein serpserint. Primum membrum per se incredibile

dibile est; quis enim sibi persuadeat eadem nocte, vel die, imo mense aut anno omnes vbique terrarum veteri mutata religione in detestandas hæreses præcipitasse, exceptis pauculis attonitis & obmutescentibus? Recte vetustissimus Tertullianus: *Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.* Et S. Vincentius Lirinensis: *Quis vnquam hæresin instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit?* Quod si errores illi non confestim totum peruaserunt orbem, sed instar cancri, qui hæresum gressus est, serpserunt; vbi, quando, quibus auctoribus cœperunt? nam, vt bene argumentatur idem S. Vincentius: *Quæ vnquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit?* Quis ergo primus Romanorum Pontificum à fide antecessorum defecit? quis Missam instituit? quis sanctos inuocandi princeps fuit?

Tertull. cap. 28. de præscript.

Vincent. Lirin. cap. 34. aduersus hæreses.

§. 42. Aduertite, obsecro, quam asystata, quam portentosa de Romanæ Cathedræ defectione blaterent sectarij. Horum antesignanus Lutherus in libello, quem anno

Luth. to. 7 VVit. pag. 455.

anno 1545. aduersus Papatum conscripsit, S. Gregorium asserit fuisse vltimum pium Romanum Episcopum; idem docuerunt Caluinus & Melanchthon super hoc laudati à VVhitakero sanctissimo, si Anglis creditur, Caluinista. SANCTVS *Gregorius fuit vltimus Episcopus Romanus, post cuius obitum Romana Ecclesia nullum amplius habuit Episcopum, etiam vsque in hodiernum diem, nec in posterum habitura est, nisi fortè fiat mirabilis Metamorphosis, sed non nisi Papæ, hoc est, diabolicæ laruæ ibi regnarunt.* Hæc Lutherus. quid alibi? *Gregorius auctor fuit Missæ priuatæ, qua nulla vnquam fuit maior abominatio in Ecclesia noui Testamenti.* De eodem sancto Pontifice post multas laudes hæc Magdeburgenses: *De libero arbitrio communem multis aliis errorem tutatur: Adulterat & articulum iustificationis, dum operibus nimium tribuit; De pœnitentia non rectè docet: Inuocationi Sanctorum & venerationi nimium tribuit; inprimis verò auxit cultum mortui Petri: Ecclesiasticis personis coniugio interdicit: Purgatorij quoque opinionem defensat: Oblationes & missas creberrime inculcat.* Mittamus cetera, quis primus Missam & Inuocationem sanctorum inuexit? vtrumque approbasse S. Ambrosium, S. Augustinum, eisque antiquiores Patres certum est. Et tamen scribere

VVhitack. quæst. 3. de Ecclesia, cap. 1.

Luth. in secūdis comment. ep. ad Galatas, to. 5. VVit. pag. 423.

Magdeb. cent. 6. cap. 10.

bere audet Lutherus: *Certè fuerunt sancti, Hilarius, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus & alij, &c. Hi enim sine* VLLA *superstitione docuerũt fidem Christi* PVRE, *hæreticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus repurgauerũt.* Quis tantas expurget antilogias? de fidei puritate commendantur, quorum doctrina & opera, vt idololatrica, Religionem funditus euertentia in nobis reprehendũtur. Omitto ab Athanasio Magno Magni Antonij monachi vitam celebratam, S. Hilarium, & S. Ambrosium monachorum fautores, S. Augustinum etiam institutorem fuisse; communem Ecclesiæ fidem de Missæ sacrificio, de implorando cœlitum auxilio nullus deseruit, aut impugnauit. Vestros Magdeburgenses audite: *Athanasius de incarnatione Verbi: si adoras hominẽ Christum, eo quod ibi inhabitet Dei Verbum; vna opera adora quoque sanctos, ob Deum, qui in illis domicilium habet. Mirum autem est tantum Doctorem sic scripsisse, &c.* referunt dein alia, & paragraphum hoc elogio claudunt: *Ista prorsus sunt idololatrica.* hæc illi de Athanasio magno Orientis lumine, quid de Ambrosio Hilarij synchrono, Augustini magistro? *Ambrosius in libro de viduis (si tamen Ambrosij est,* quis dubitauerit?) *permulta crassa habet de inuocandis* *sanctis*

Luth. to. 5. VVit. pag. 422.

sanctis mortuis, &c. Lib. 5. epist. ep. 35. Ambrosius locutionibus de cœna vtitur, quibus ante eum ex Patribus nemo est vsus: vt Missam facere, offerre, offerre sacrificium, &c.

§. 43. Mendacium, his vocibus neminem Ambrosio antiquiorem vsum: vsi sunt SS. Martyres & Pontifices, Ambrosium multis annis antegressi, Cornelius Romanus, Cyprianus Carthaginésis; hic ad Cęcilium Episcopum scribit: *Si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, &* SACRIFICIVM *Patri seipsum* OBTVLIT, *& hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, &* SACRIFICIVM VERVM *& plenum tunc* OFFERT *in Ecclesia Deo Patri, &c.* S. Cornelius, cui per litteras familiaris erat Cyprianus, hæc ad Lupicinum Episcopum Viennensem: *Scias, frater carissime, aream Dominicam vento persecutionis acerrime commoueri, & edictis Imperatorum Christianos vbique tormentis variis affici: nam in vrbe Romana Imperator ad hoc constitutus est: vnde publicè neque in cryptis notioribus* MISSAS *agere Christianis licet.* Cornelio antiquior S. Alexander I. qui annis abhinc M. CD. LXXXIIIX. Romanam Cathedram conscendit, ad omnes Orthodoxos scribit: *In sacra-*

Cyprianus epist. 63.

Cornelius epist. ad Lupiciniũ.

Alex I. ep. 1.

ſacramentorum quoq; oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paßio Domini miſcenda eſt, vt eius, cuius corpus & ſanguis conficitur, paßio celebretur. Hæc ad recidendum Magdeburgenſium mendacium, ſine quo non poterant, quod res erat, fateri, S. Ambroſium credidiſſe Miſſæ ſacrificium; quẽadmodum nec Sanctorum inuocationem ab eo commendari, ſincerè, nullo admixto dolo, confeſsi ſunt. quis enim vnquam librum de viduis partum eſſe S. Ambroſij, in controuerſiam vocauit?

§. 44. Quid aliud traderet vir ſanctus, quam quod orientalis occiduaque tenebat Eccleſia? Vtramque enim conſenſiſſe teſtes fuerint qui Ambroſij ætâte floruerunt Baſilius Magnus, & Gregorius cognomento Theologus, Græciæ decora, quos Catholice de inuocandis ſanctis ſenſiſſe, vel acatholicus Superintendens inficiari non auſus eſt. *Teſtantur,* inquit, *conciones Baſilij & Nazianzeni de Sanctis, ipſorum tempore Sanctorum inuocationem cœpiſſe* (dic, viguiſſe) *cum in fine concionum nominatim eos compellant: O Athanaſi ora pro nobis.* Ecce lumina veteris Eccleſiæ, Patres in Diuinis ſcripturis diu noctuq; exercitatiſsimi inſimulantur nouitio adhæſiſſe errori, veræ in Deum fidei

Schlüſſelburg. lib. 8. catalogi hæret. pag. 76.

fidei prædoni, quē CLARA scripturæ verba impietatis condemnēt. Nulla vnquam ætas tot sanctitate pariter ac eruditione celebres vidit viros, quam quartum à nato Christo seculum, quo floruerunt Athanasius Magnus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, S S. Gregorij Nyssenus & Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Ephræm, S. Amphilochius, S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus: in Latinorum Ecclesiis S. Damasus, Siricius Pontifices Romani, S. Hilarius, S. Optatus Mileuitanus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Paulin⁹, S. Alipius, & hi omnes, pluresque alij nemine persequente, cogente, fatali quadam percussi cæcitate in turpissimum, superiori ætate inauditum ruerint errorem, & quidem tanto consensu, vt nesciretur quis auctor & inuentor esset, vbi ortum incendium, in Græcia, an in Latio; atque ita prius vorax flamma orbem peruaserit, quam eius scintilla obseruata sit. Hæc somnia, has in viros sanctissimos, perspicacissimos Lœdorias, & insanas calumnias non oderint, non detestentur prudentes verique amantes viri? Magna vis veritatis; nolunt fateri Christi Ecclesiam semper in veritate stetisse immotam, maiorũ fidem

fidem & religionem seruasse sartam tectã; & tam inconstantia, absurdaque afferunt admissæ perfidiæ testimonia, quæ nec contra ignotum agyrtam reciperetur, nedum aduersus veteres sanctosque Patres, ac vniuersam Christianitatem.

§. 45. Necdum extorsimus, quando & à quibus in Ecclesias introducta sint Missæ sacrificium, & Sanctorũ inuocatio. A suis Prædicantibus quid certius exquirant, qui nobis non fidunt; sed experientur illos vel tergiuersari, & latebras quærere, vel in motam quæstionem stomachari, vel ad respõsa falsi, absurdi manifesta delabi, & mirifice, quæ mendacij indoles, inter se ipsos dissentire. Quam plana est Catholica veritas? Missæ sacrificium in vltima cœna instituit, ac primus peregit Christus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt ex S. Cypriano supra audiuimus, idemque perpetuus Ecclesiæ sensus fuit. Inuocatio Sanctorum ab Apostolis & primitiua Ecclesia descendit, cuius testes sunt antiquissimi Patres, qui illam à maioribus traditam agnouerunt, non ipsi excogitarunt. Nec ignobilior aut incertior est hæc doctrina, quam quod Euangelium, S. Ioannis sit scriptura canonica. vtrumque ex

Ecclesiæ traditione & definitione indubi-tatum; nec temere dico, Sanctorum inuo-cationem quid accessoriæ firmitudinis ha-bere, quanta non est, quod hic vel ille liber sit canonicus. Nam sancte inuocari cœli-tes ex scripturis non obscure colligitur, vt passim nostri docuerunt: haud eadem de S. Ioannis Euangelio argumētandi facul-tas. Dein Sanctorum inuocationem Deus quot seculis per multa & testatissima mi-racula approbauit; quanta exhibita non sunt, pro huius alteriusue libri canonici auctoritate.

Iac. Heil-bron. in pa-patu Aca-tholico, art. 5. cap. 10. ad finem.

§. 46. Iacobus Heilbronner hoc quam validissimo, vt seipse circumspicit, ariete impetit Ecclesiam, quam supra petrā fun-dauit Dominus: *Nequeunt Aduersarij nobis v-num opponere, qui ante 1200. 1300. 1400. 1500. 1600. annos in omnibus & singulis articulis Papi-sta fuerit, vel cum Papistis consenserit. nam de ali-quibus huius Papatus articulis nihil audiuerunt, vel sciuerunt. Ausint nominare vnicam personam, quæ ante 1500. & plures annos, Romanum Ponti-ficem, quicunque vsque ad extremum diem fuerit, vni-uersale caput totius Christianitatis esse crediderit, qui nequeat in definiendis rebus fidei errare, etiam-si parum ipse doctus sit, ac solus sine generali Con-cilio quid definiat. qui iam summe necessarius arti-*

culus

lus Papisticæ religionis habetur, quem Iesuitæ nō ſq; graui ſua totiuſq; Romanæ Eccleſiæ confuſio-ne in Colloquio Ratiſponenſi Anno 1561. defenden-dum ſuſceperunt: Audeant nominare vnicam per-ſonam, quæ ante 1200. 1300. 1400. 1500. annos de Romano Indulgentiarum theſauro quicquam tra-diderit, atq; ita ſcripſerit, ſicut iam à Ieſuitis & a-liis Pontificiis doctoribus deſcribitur. Vnicum, ſi au-dent, nominent doctorem, qui præfatis ſeculis de o-peribus ſupererogationis, & meritis Franciſcano-rum, Dominicanorum, Capuccinorum, aliorumq; bis antiquiorum monachorum docuerit, ſicut iam in Papatu de his creditur & docetur. Subdit a-lios nouem paragraphos tribus iam alla-tis nihilo ſapientiores; tandem quaſi re o-ptime geſta, his caput claudit. *Quod ſi ergo, vt pars aduerſa ratiocinatur, neceſſario conſequi-tur illam Eccleſiam eſſe falſam, quæ nec vnicum nominare poteſt hominem, qui ante multa ſecula & retro vſq; ad natiuitatem Chriſti in omnibus & ſingulis articulis eiuſdem religionis fuerit, id nos acceptamus, atq; inde concludimus Pontificiam Ec-cleſiam neceſſario & irrefragibiliter eſſe falſam Ec-cleſiam, quæ titulum nomenq; veræ, veteris, Catho-licæ Eccleſiæ male ſibi arroget.*

§. 47. Audi Prædicans, cur non candide argumēta noſtra proponis, ſed inciſis ner-uis ea debilitas, vt fumos tuos facilius vē-

das, atque incautis illudas. Vos hæreticos esse euincimus, quia noua dogmata fouetis, quorum parentem, incunabula, ætatem nominare possumus: nouimus quo anno, quo loco à Romana Ecclesia defecerit Lutherus, ante quem (hoc vrgemus) omnibus retro seculis vsque ad Apostolos nec vnus homo ostẽdi potest, qui eiusdem religionis dici queat, qualem Lutherus ex suomet cerebello exsculpsit. Huius ratiocinationis cornu in nos verte, edissere absque mendacio, quando, vbi, quo auctore nata sit fides, quam hodie profitetur Romana Ecclesia, cui tacite das annos 1200. quandoquidem instas solum, vt nominemus aliquem, qui 1200. & pluribus abhinc annis vixerit, non immemor tui Georgij Nigrini, quem laudas pag. 392. ex eoque refers Papatũ incepisse anno 441. sub Leone I. ita quotidie proficitis, à Luthero audiuimus supra num. 42. successorem Gregorij Magni fuisse Papatus auctorem, iam trãspositis limitibus Leo Magnus fuit primus Papa, id est, diabolica larua, Luthero paraphraste; *quandoquidem huius Papæ nomen conuenit cum Leone, de quo Ioannes Apocal. 13. & os eius, sicut os Leonis*; ait Nigrinus nigri Iouis satelles. Os impudens, hæc tu in Pontifi-

cem

cem eruditione, sanctimonia, rebus præclare gestis vere magnũ, cuius fidem prædicans OEcumenicum Chalcedonense Concilium exclamat, *vt Leo, sic credimus.*

Concil. Chalced. act. 5.

§. 48. Sed rei propositæ insistemus, à nobis prouocamini, vt vel vnum vestræ fidei consentientem designetis ex quocunque seculo inter Lutherum & Apostolos interposito, & hærente vobis aqua certissimo cognoscimus ab Apostolorum quoque doctrina extraneos esse, licet eorum verba teneatis: sed sensa interuertitis, & multa ἀγράφως sine scripto tradita, atque *in Ecclesiam, quasi in depositorium diues plenissime collata*, vt antiquissimus Martyr Irenæus loquitur, magnam Apostolicæ doctrinæ partem superciliose contemnitis. An vos arctamus ad primum & alterum seculum, vt tu propriæ diffidens caussæ facis? Postulas vt exhibeamus vnum, qui ante 1500. & plures annos cognouerit infallibilem Romani Præsulis in decretis fidei auctoritatem. agnouit ille, qui contulit. pollicitus nunquam fore vt aduersus hanc cathedrã præualeant inferi; præualerent autem, si eam in perfidiæ scholam transmutarent. Christi verborum hunc orthodoxum esse sensum testantur sanctitate & vetustate veneran-

Iren. lib. 3. cap. 4.

nerandi Patres, qui annis abhinc 1000. 1100. 1200. 1300. 1400. floruerunt. Tu, his omnibus insuper habitis, velis solum Apostolos audire, qui ante 1500. & plures annos & verbo & scriptis claruerunt? Adhuc insulsius postulas, vt nominemus *vnicam personam Christianam, quæ ante 1500. & 1600. annos virginem Mariam, tanquam mediatricem, & opitulatricem inuocarit, illius imagines è genu salutauerit, vel ad illas peregre abierit.* Cur meminisli annorum 1600? ante quos fatemur nos nō posse vllum Christianum nominare religionis nostræ consortem, quia nullus Christianus adhuc erat; nec tunc imagines Virginis colebantur, quando Christus nouem erat annorum, virginis dignitas paucissimis nota, sed ea sub paupere latebat tecto, vxor fabri habita, eiusdem sortis, cuius ceteræ vxores sunt. Ad Vtopicos ergo Christianos confugere maluit Prædicans, quam arbitros admittere quotquot decem, duodecim, aut pluribus seculis celebrati sunt Doctores, quasi omnes fuerint pepones, scripturorum rudes, expertes veræ fidei.

§. 49. Nos nec vnum interpolamus seculum, nostri fuere quotquot vnquam Christiano nomine digni vixere. Sed vt offu-

offusas à sectariis nebulas, quibus simpliciorum oculos præstinguant, dispellamus, nonnulla declaranda sunt. Primo enim præstruimus postulatum hæreticum esse, vt omnia fidei dogmata ex solis Diuinis libris clare, aut demonstratiue probentur, quod ipsis scripturis inimicum, eorum auctoritatem suspectam reddit, plurimúmque infirmat. nam si infida & grauium errorum magistra est Ecclesiastica traditio, non immerito quis vereatur, an non hic aut ille liber sit errore suppositus. Profecto Euangelium Ioannis esse canonicum ex nulla scriptura euincitur, nec ex testibus, qui ante annos 1500. & 1600. floruerint, sed ex perpetuo Ecclesiarum etiam posteriorum ætatum sensu. sicut ergo nemini Christianorum dubitare licet de eminentia Euangelij secundum Ioannem, quandoquidem id tanquam à digito Dei exaratum suspexere sancti Patres, non tantum ante annos 1300. 1400. quorum pauciora habemus testimonia, sed etiam ante 1000. 1100. 1200. quorum Patrum iure magni fit auctoritas: pari ratione, quicquid iidem Patres tanto consensu nobis tanquam doctrinam Apostolicam commendant, id nefas fuerit de errore suspectum habere:

 addu-

addubitare scilicet; num Deus per tot ac tantos viros quos singulari prouidentia Ecclesiæ suæ constituit doctores, pastores, ac potentissimos infidelitatis atque hæresum expugnatores fidelibus populis pro tritico dispensarit furfures, pro sacræ doctrinæ panibus distribuerit pertinaci errore concretos lapides, Diuina dogmata dulciora super mel & fauum, scorpiaco infecerit toxico. Numquid Deo cura de bobus? his pastores, his pabula abundanter prouidet; solæ Christi pastoris boni oues multis seculis non inuenerint nisi nocentissimo infecta pascua veneno? Eleganter S. Cyprianus, quanta Deo cura sit vt populo suo bonos, sanctos prospiciat ministros, maior vtique fuerit vt in fide sinceros, quæ pietatis fundamentum est; & fideles præceptum habent vt doctrinam illorum, nõ opera obseruent. Audiamus Martyrem: *Hoc est in Deum non credere, hoc est rebellem aduersus Christum, & aduersus Euangelium eius existere, vt cum ille dicat: Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine Patris voluntate? & probet maiestas eius & veritas sine conscientia & permissu Dei etiam minora nõ fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia eius in Ecclesia ordinari. Nam credere quod indigni & incesti*

[margin: ...yprian. ...69.]

testi sint (fidei doctrinam nefariis scitis adulterent) *qui ordinantur; quid aliud est, quam credere quod non à Deo, nec per Deum sacerdotes eius in Ecclesia constituantur?*

§. 50. Hæc minime temere de Diuina bonitate sentimus, & à Domino promissa accipimus, dum se perpetuo cum discipulis suis mansurum, eos omnem à Spiritu sancto veritatem doctũ iri recepit. Quare recte in Apostolicis doctrinis deputatur, quicquid vniuersa tenet Ecclesia, nec post Apostolos institutum deprehenditur, tametsi nullũ primitiuæ Ecclesiæ, aut à 1300. 1400. 1500. annis haberetur testimonium. Hinc ab omnibus semper orthodoxis laudata est à S. Augustino sapientissime obseruata regula: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Idem Ianuario rescribit; Absque dubio seruandum esse, *si quid Diuinæ scripturæ præscribit auctoritas.* SIMILITER *si quid tota per orbem frequentat Ecclesia; hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* Quis enim sanæ mentis contẽdat totum orbem Christianum desipere, sibi soli datum esse sapere? Habemus ergo alteram normam, ex qua dignoscamus Apostolorũ doctrinam,

S. Aug. lib. 4. de baptismo, c. 24.

Idem epist. 118.

anno 1545. aduersus Papatum conscripsit, S. Gregorium asserit fuisse vltimum pium Romanum Episcopum; idem docuerunt Caluinus & Melanchthon super hoc laudati à VVhitakero sanctissimo, si Anglis creditur, Caluinista. SANCTVS *Gregorius fuit vltimus Episcopus Romanus, post cuius obitum Romana Ecclesia nullum amplius habuit Episcopum, etiam vsque in hodiernum diem, nec in posterum habitura est, nisi fortè fiat mirabilis Metamorphosis, sed non nisi Papæ, hoc est, diabolicæ laruæ ibi regnarunt.* Hæc Lutherus. quid alibi? *Gregorius auctor fuit Missæ priuatæ, qua nulla vnquam fuit maior abominatio in Ecclesia noui Testamenti.* De eodem sancto Pontifice post multas laudes hæc Magdeburgenses: *De libero arbitrio communem multis aliis errorem tutatur: Adulterat & articulum iustificationis, dum operibus nimium tribuit; De pœnitentia non rectè docet: Inuocationi Sanctorum & venerationi nimium tribuit; inprimis verò auxit cultum mortui Petri: Ecclesiasticis personis coniugio interdicit: Purgatorij quoque opinionem defensat: Oblationes & missas creberrime inculcat.* Mittamus cetera, quis primus Missam & Inuocationem sanctorum inuexit? vtrumque approbasse S. Ambrosium, S. Augustinum, eisque antiquiores Patres certum est. Et tamen scribere

Vhitack. quæst. 3. de Ecclesia, cap. 1.

Luth. in secundis comment. ep. ad Galatas, c. 5. VVit. pag. 423.

Magdeb. cent. 6. cap. 10.

bere audet Lutherus: *Certè fuerunt sancti, Hilarius, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus & alij, &c. Hi enim sine* VLLA *superstitione docuerũt fidem Christi* PVRE, *hæreticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus repurgauerũt.* Quis tantas expurget antilogias? de fidei puritate commendantur, quorum doctrina & opera, vt idololatrica, Religionem funditus euertentia in nobis reprehendũtur. Omitto ab Athanasio Magno Magni Antonij monachi vitam celebratam, S. Hilarium, & S. Ambrosium monachorum fautores, S. Augustinum etiam institutorem fuisse; communem Ecclesiæ fidem de Missæ sacrificio, de implorando cœlitum auxilio nullus deseruit, aut impugnauit. Vestros Magdeburgenses audite: *Athanasius de incarnatione Verbi: si adoras hominẽ Christum, eo quod ibi inhabitet Dei Verbum; vna opera adora quoque sanctos, ob Deum, qui in illis domicilium habet. Mirum autem est tantum Doctorem sic scripsisse, &c.* referunt dein alia, & paragraphum hoc elogio claudunt: *Ista prorsus sunt idololatrica.* hæc illi de Athanasio magno Orientis lumine, quid de Ambrosio Hilarij synchrono, Augustini magistro? *Ambrosius in libro de viduis (si tamen Ambrosij est,* quis dubitauerit?) *permulta crassa habet de inuocandis*

Luth. to. 5. VVit. pag. 422.

sanctis

sanctis mortuis, &c. *Lib. 5 epist. ep. 35. Ambrosius locutionibus de cœna vtitur, quibus ante eum ex Patribus nemo est vsus: vt Missam facere, offerre, offerre sacrificium, &c.*

§. 43. Mendacium, his vocibus neminem Ambrosio antiquiorem vsum: vsi sunt SS. Martyres & Pontifices, Ambrosium multis annis antegressi, Cornelius Romanus, Cyprianus Carthaginésis; hic ad Cęcilium Episcopum scribit: *Si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & SACRIFICIVM Patri seipsum OBTVLIT, & hoc fieri in sui commemorationem pracepit, vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & SACRIFICIVM VERVM & plenum tunc OFFERT in Ecclesia Deo Patri, &c.* S. Cornelius, cui per litteras familiaris erat Cyprianus, hæc ad Lupicinum Episcopum Viennensem: *Scias, frater carissime, aream Dominicam vento persecutionis acerrime commoueri, & edictis Imperatorum Christianos vbique tormentis variis affici: nam in vrbe Romana Imperator ad hoc constitutus est: vnde publicè neque in cryptis notioribus* MISSAS *agere Christianis licet.* Cornelio antiquior S. Alexander I. qui annis abhinc M. CD. LXXXIIX. Romanam Cathedram conscendit, ad omnes Orthodoxos scribit: *In sacra-*

Cyprianus epist. 63.

Cornelius epist. ad Lupicinũ.

Alex I. ep. I.

sacramentorum quoq; oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur. Hæc ad recidendum Magdeburgensium mendacium, sine quo non poterant, quod res erat, fateri, S. Ambrosium credidisse Missæ sacrificium; quémadmodum nec Sanctorum inuocationem ab eo commendari, sincerè, nullo admixto dolo, confessi sunt. quis enim vnquam librum de viduis partum esse S. Ambrosij, in controuersiam vocauit?

§. 44. Quid aliud traderet vir sanctus, quam quod orientalis occiduaque tenebat Ecclesia? Vtramque enim consensisse testes fuerint qui Ambrosij ætàte floruerunt Basilius Magnus, & Gregorius cognomento Theologus, Græciæ decora, quos Catholice de inuocandis sanctis sensisse, vel acatholicus Superintendens inficiari non ausus est. *Testantur,* inquit, *conciones Basilij & Nazianzeni de Sanctis, ipsorum tempore Sanctorum inuocationem cœpisse* (dic, viguisse) *cum in fine concionum nominatim eos compellant: O Athanasi ora pro nobis.* Ecce lumina veteris Ecclesiæ, Patres in Diuinis scripturis diu noctuq; exercitatissimi insimulantur nouitio adhæsisse errori, veræ in Deum

Schlüsselburg. lib. 8. catalogi hæret. pag. 76.

fidei

fidei prædoni, quẽ CLARA scripturæ verba impietatis condemnẽt. Nulla vnquam ætas tot sanctitate pariter ac eruditione celebres vidit viros, quam quartum à nato Christo seculum, quo floruerunt Athanasius Magnus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, S S. Gregorij Nyssenus & Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Ephræm, S. Amphilochius, S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus: in Latinorum Ecclesiis S. Damasus, Siricius Pontifices Romani, S. Hilarius, S. Optatus Mileuitanus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Paulin⁹, S. Alipius, & hi omnes, pluresque alij nemine persequente, cogente, fatali quadam percussi cæcitate in turpissimum, superiori ætate inauditum ruerint errorem, & quidem tanto consensu, vt nesciretur quis auctor & inuentor esset, vbi ortum incendium, in Græcia, an in Latio; atque ita prius vorax flamma orbem peruaserit, quam eius scintilla obseruata sit. Hæc somnia, has in viros sanctissimos, perspicacissimos Lœdorias, & insanas calumnias non oderint, non detestentur prudentes verique amantes viri? Magna vis veritatis; nolunt fateri Christi Ecclesiam semper in veritate stetisse immotam, maiorũ
fidem

fidem & religionem ſeruaſſe ſartam tectã; & tam inconſtantia, abſurdaque afferunt admiſſæ perfidiæ teſtimonia, quæ nec contra ignotum agyrtam reciperetur, nedum aduerſus veteres ſanctoſque Patres, ac vniuerſam Chriſtianitatem.

§. 45. Necdum extorſimus, quando & à quibus in Eccleſias introducta ſint Miſſæ ſacrificium, & Sanctorũ inuocatio. A ſuis Prædicantibus quid certius exquirant, qui nobis non fidunt; ſed experientur illos vel tergiuerſari, & latebras quærere, vel in motam quæſtionem ſtomachari, vel ad reſpõſa falſi, abſurdi manifeſta delabi, & mirifice, quæ mendacij indoles, inter ſe ipſos diſſentire. Quam plana eſt Catholica veritas? Miſſæ ſacrificium in vltima cœna inſtituit, ac primus peregit Chriſtus ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, vt ex S. Cypriano ſupra audiuimus, idemque perpetuus Eccleſiæ ſenſus fuit. Inuocatio Sanctorum ab Apoſtolis & primitiua Eccleſia deſcendit, cuius teſtes ſunt antiquiſsimi Patres, qui illam à maioribus traditam agnouerunt, non ipſi excogitarunt. Nec ignobilior aut incertior eſt hæc doctrina, quam quod Euangelium, S. Ioannis ſit ſcriptura canonica. vtrumque ex

Ecclesiæ traditione & definitione indubitatum; nec temere dico, Sanctorum inuocationem quid accessorię firmitudinis habere, quanta non est, quod hic vel ille liber sit canonicus. Nam sancte inuocari cœlites ex scripturis non obscure colligitur, vt passim nostri docuerunt: haud eadem de S. Ioannis Euangelio argumētandi facultas. Dein Sanctorum inuocationem Deus quot seculis per multa & testatissima miracula approbauit; quanta exhibita non sunt, pro huius alteriusue libri canonici auctoritate.

Iac. Heilbron. in papatu Acatholico, art. 5. cap. 10. ad finem.

§. 46. Iacobus Heilbronner hoc quam validissimo, vt seipse circumspicit, ariete impetit Ecclesiam, quam supra petrã fundauit Dominus: *Nequeunt Aduersarij nobis vnum opponere, qui ante 1200. 1300. 1400. 1500. 1600. annos in omnibus & singulis articulis Papista fuerit, vel cum Papistis consenserit. nam de aliquibus huius Papatus articulis nihil audiuerunt, vel sciuerunt. Ausint nominare vnicam personam, quæ ante 1500. & plures annos, Romanum Pontificem, quicunq; vsq; ad extremum diem fuerit, vniuersale caput totius Christianitatis esse crediderit, qui nequeat in definiendis rebus fidei errare, etiamsi parum ipse doctus sit, ac solus sine generali Concilio quid definiat. qui iam summe necessarius articulus*

cilus Papisticæ religionis habetur, quem Iesuitæ nõ absq; graui sua totiusq; Romanæ Ecclesiæ confusione in Colloquio Ratisponensi Anno 1561. defendendum susceperunt. Audeant nominare vnicam personam, quæ ante 1200. 1300. 1400. 1500. annos de Romano Indulgentiarum thesauro quicquam tradiderit, atq; ita scripserit, sicut iam à Iesuitis & aliis Pontificiis doctoribus describitur. Vnicum, si audent, nominent doctorem, qui præfatis seculis de operibus supererogationis, & meritis Franciscanorum, Dominicanorum, Capuccinorum, aliorumq; his antiquiorum monachorum docuerit, sicut iam in Papatu de his creditur & docetur. Subdit alios nouem paragraphos tribus iam allatis nihilo sapientiores; tandem quasi re optime gesta, his caput claudit. *Quod si ergo, vt pars aduersa ratiocinatur, necessario consequitur illam Ecclesiam esse falsam, quæ nec vnicum nominare potest hominem, qui ante multa secula & retro vsq; ad natiuitatem Christi in omnibus & singulis articulis eiusdem religionis fuerit, id nos acceptamus, atq; inde concludimus Pontificiam Ecclesiam necessario & irrefragibiliter esse falsam Ecclesiam, quæ titulum nomenq; veræ, veteris, Catholicæ Ecclesiæ male sibi arroget.*

§. 47. Audi Prædicans, cur non candide argumẽta nostra proponis, sed incisis neruis ea debilitas, vt fumos tuos facilius vẽ-

das, atque incautis illudas. Vos hæreticos esse euincimus, quia noua dogmata fouetis, quorum parentem, incunabula, ætatem nominare possumus: nouimus quo anno, quo loco à Romana Ecclesia defecerit Lutherus, ante quem (hoc vrgemus) omnibus retro seculis vsque ad Apostolos nec vnus homo ostẽdi potest, qui eiusdem religionis dici queat, qualem Lutherus ex suomet cerebello exsculpsit. Huius ratiocinationis cornu in nos verte, edissere absque mendacio, quando, vbi, quo auctore nata sit fides, quam hodie profitetur Romana Ecclesia, cui tacite das annos 1200. quandoquidem instas solum, vt nominemus aliquem, qui 1200. & pluribus abhinc annis vixerit, non immemor tui Georgij Nigrini, quem laudas pag. 392. ex eoque refers Papatũ incepisse anno 441. sub Leone I. ita quotidie proficitis, à Luthero audiuimus supra num. 42. successorem Gregorij Magni fuisse Papatus auctorem, iam trãspositis limitibus Leo Magnus fuit primus Papa, id est, diabolica larua, Luthero paraphraste; *quandoquidem huius Papæ nomen conuenit cum Leone, de quo Ioannes Apocal. 13. & os eius, sicut os Leonis*; ait Nigrinus nigri Iouis satelles. Os impudens, hæc tu in Pontificem

cem eruditione, sanctimonia, rebus præclare gestis vere magnū, cuius fidem prædicans OEcumenicum Chalcedonense Concilium exclamat, *vt Leo, sic credimus.*

Concil. Chalced. act. 5.

§. 48. Sed rei propositæ insistemus, à nobis prouocamini, vt vel vnum vestræ fidei consentientem designetis ex quocunque seculo inter Lutherum & Apostolos interposito, & hærente vobis aqua certissimo cognoscimus ab Apostolorum quoque doctrina extraneos esse, licet eorum verba teneatis: sed sensa interuertitis, & multa ἀγράφως sine scripto tradita, atque *in Ecclesiam, quasi in depositorium diues plenissime collata*, vt antiquissimus Martyr Irenæus loquitur, magnam Apostolicæ doctrinæ partem superciliose contemnitis. An vos arctamus ad primum & alterum seculum, vt tu propriæ diffidens caussæ facis? Postulas vt exhibeamus vnum, qui ante 1500. & plures annos cognouerit infallibilem Romani Præsulis in decretis fidei auctoritatem. agnouit ille, qui contulit. pollicitus nunquam fore vt aduersus hanc cathedrā præualeant inferi; præualerent autem, si eam in perfidiæ scholam transmutarent. Christi verborum hunc orthodoxum esse sensum testantur sanctitate & vetustate ve-

Iren. lib. 3. cap. 4.

 neran-

nerandi Patres, qui annis abhinc 1000. 1100. 1200. 1300. 1400. floruerunt. Tu, his omnibus insuper habitis, velis solum Apostolos audire, qui ante 1500. & plures annos & verbo & scriptis claruerunt? Adhuc insulsius postulas, vt nominemus *vnicam personam Christianam, quæ ante 1500. & 1600. annos virginem Mariam, tanquam mediatricem, & opitulatricem inuocarit, illius imagines è genu salutauerit, vel ad illas peregre abierit.* Cur meministi annorum 1600? ante quos fatemur nos nō posse vllum Christianum nominare religionis nostræ consortem, quia nullus Christianus adhuc erat; nec tunc imagines Virginis colebantur, quando Christus nouem erat annorum, virginis dignitas paucissimis nota, sed ea sub paupere latebat tecto, vxor fabri habita, eiusdem sortis, cuius ceteræ vxores sunt. Ad Vtopicos ergo Christianos confugere maluit Prædicans, quam arbitros admittere quotquot decem, duodecim, aut pluribus seculis celebrati sunt Doctores, quasi omnes fuerint pepones, scripturorum rudes, expertes veræ fidei.

§. 49. Nos nec vnum interpolamus seculum, nostri fuere quotquot vnquam Christiano nomine digni vixere. Sed vt

offu-

offusas à sectariis nebulas, quibus simpliciorum oculos præstinguant, dispellamus, nonnulla declaranda sunt. Primo enim præstruimus postulatum hæreticum esse, vt omnia fidei dogmata ex solis Diuinis libris clare, aut demonstratiue probentur, quod ipsis scripturis inimicum, eorum auctoritatem suspectam reddit, plurimũque infirmat. nam si infida & grauium errorum magistra est Ecclesiastica traditio, non immerito quis vereatur, an non hic aut ille liber sit errore suppositus. Profecto Euangelium Ioannis esse canonicum ex nulla scriptura euincitur, nec ex testibus, qui ante annos 1500. & 1600. floruerint, sed ex perpetuo Ecclesiarum etiam posteriorum ætatum sensu. sicut ergo nemini Christianorum dubitare licet de eminentia Euangelij secundum Ioannem, quandoquidem id tanquam à digito Dei exaratum suspexere sancti Patres, non tantum ante annos 1300. 1400. quorum pauciora habemus testimonia, sed etiam ante 1000. 1100. 1200. quorum Patrum iure magni fit auctoritas: pari ratione, quicquid iidem Patres tanto consensu nobis tanquam doctrinam Apostolicam commendant, id nefas fuerit de errore suspectum habere:

 addu-

addubitare ſcilicet; num Deus per tot ac tantos viros quos ſingulari prouidentia Eccleſiæ ſuæ conſtituit doctores, paſtores, ac potentiſsimos infidelitatis atque hæreſum expugnatores fidelibus populis pro tritico diſpenſarit furfures, pro ſacræ doctrinæ panibus diſtribuerit pertinaci errore concretos lapides, Diuina dogmata dulciora ſuper mel & fauum, ſcorpiaco infecerit toxico. Numquid Deo cura de bobus? his paſtores, his pabula abundanter prouidet; ſolæ Chriſti paſtoris boni oues multis ſeculis non inuenerint niſi nocentiſsimo infecta paſcua veneno? Eleganter S. Cyprianus, quanta Deo cura ſit vt populo ſuo bonos, ſanctos proſpiciat miniſtros, maior vtique fuerit vt in fide ſinceros, quæ pietatis fundamentum eſt; & fideles præceptum habent vt doctrinam illorum, nõ opera obſeruent. Audiamus Martyrem: *Hoc eſt in Deum non credere, hoc eſt rebellem aduerſus Chriſtum, & aduerſus Euangelium eius exiſtere, vt cum ille dicat: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate? & probet maieſtas eius & veritas ſine conſcientia & permiſſu Dei etiam minora nõ fieri, tu exiſtimes ſacerdotes Dei ſine conſcientia eius in Eccleſia ordinari. Nam credere quod indigni & in-*

Cyprian. ep. 69.

ceſti

tesli sint (fidei doctrinam nefariis scitis adulterent) *qui ordinantur; quid aliud est, quam credere quod non à Deo, nec per Deum sacerdotes eius in Ecclesia constituantur?*

§. 50. Hæc minime temere de Diuina bonitate sentimus, & à Domino promissa accipimus, dum se perpetuo cum discipulis suis mansurum, eos omnem à Spiritu sancto veritatem doctū iri recepit. Quare recte in Apostolicis doctrinis deputatur, quicquid vniuersa tenet Ecclesia, nec post Apostolos institutum deprehenditur, tametsi nullū primitiuæ Ecclesiæ, aut à 1300. 1400. 1500. annis haberetur testimonium. Hinc ab omnibus semper orthodoxis laudata est à S. Augustino sapientissime obseruata regula: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Idem Ianuario rescribit; Absque dubio seruandum esse, *si quid Diuinæ scripturæ præscribit auctoritas.* SIMILITER *si quid tota per orbem frequentat Ecclesia; hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* Quis enim sanæ mentis contēdat totum orbem Christianum desipere, sibi soli datum esse sapere? Habemus ergo alteram normam, ex qua dignoscamus Apostolorū doctrinam,

S. Aug. lib. 4. de baptismo, c. 24.

Idem epist. 118.

nam, non à S. Augustino tantum, sed communiter à sanctis doctoribus præscriptã, atque ex ipsis scripturis haustam. Luculenter S. Epiphanius: OPORTET *& traditione vti*, NON *enim* OMNIA *à diuina scriptura possunt accipi: Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt. Quemadmodum dicit S. Apostolus: sicut tradidi vobis.* Et alibi: *Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.* Et S. Chrysostomus exponens verba Pauli: *State & tenete traditiones. Hinc est perspicuum, ait, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed* MVLTA *etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam.* EST TRADITIO, NIHIL QVAERAS AMPLIVS. S. Ioannes Damascenus: *Quod Apostoli* QVAM PLVRIMA *nullo sacræ scripturæ loco prodita nobis tradiderint; his verbis testatur ille Gentium Apostolus Paulus: State igitur fratres & tenete traditiones nostras, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et ad Corinthios scribens: Laudo vos fratres quod, &c. traditiones tenetis.*

. Epiphan. ar. 61.

. Chrysost. rm. 4. in pist 2. ad hessalon.

Damasc. ep. 17. de naginib.

§. 51. Præterea si dubitari contingat, an dogma aliquod sit Apostolicũ, & ab Apostolis creditum, vt si scripturæ sententia sit obscurior, traditio latentior, penes Ecclesiam est veritatis definitio; quam nemo fidelis sper-

ſpernit. Reſidet autem in primis hæc definiendi auctoritas in Romano Pontifice, & OEcumenicis Conciliis; de quibus recte S. Vincentius Lirinenſis: *Quid vnquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt Christi Eccleſia, niſi vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur?* Sic conſtat olim, vt teſtatur etiam S. Auguſtinus, *magnos viros, & magna caritate præditos Patres, Epiſcopos inter ſe diſceptaſſe atque fluctuaſſe,* num rebaptizandi ſint hæretici, *donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Bene de Conciliis Chriſtianiſsimus Imperator Conſtantinus Magnus: QVICQVID *in ſanctis Epiſcoporum Conciliis decernitur, id vniuerſum Diuinæ voluntati debet attribui.* Sed & ſolius Romani Pontificis ſine Concilio, in fidei controuerſiis ſententia firmiſsime tenenda eſt, exſtructa ſcilicet ſuper petram, ipſis inferis tremendam, & prolata ab eo, qui Petri Apoſtolorum principis ſucceſſor, Chriſti in terris vicarius eſt. Quod Catholicum dogma optime probat Cardinalis Bellarminus, ex quo tamen diſcere poterat Heilbronner, à nobis non tradi, hunc ſumme neceſſarium noſtræ religionis

Vincent. Lirin. c.32.

S. Aug. lib. 1. de baptiſ. contra Donatiſt. c.7.

Conſtant. Magnus apud Euſebium lib.3. de Vita Conſtant. c.18.

Bellar. lib. 2. de Rom. Pontifice.

nis articulum esse, quandoquidem necdum aperte damnatus est error eorum, qui Pontificis extra Concilium definitionem negant esse omnino infallibilem; sed hallucinantur grauiter; & veritatem, quæ nũquam confundit, Collocutores Catholici in postremo Ratisponensi Colloquio merito tuendam susceperunt, ac probe aduersus hæreticam improbitatem propugnarunt: quicquid Heilbronner obganniat.

§. 52. Diximus quibus viis indaganda sint Apostolica dogmata, præter quæ non inficiamur aliqua in nostris Ecclesiis seruari non ab Apostolis, sed à posterioribus Pontificibus, vel Conciliis instituta aut approbata, vel pia consuetudine introducta, vt sunt nonnulli ritus & cerimoniæ, quibus in sacris administrandis vsus est. Huiusmodi vero non ideo reprobanda esse, quod non à Christo aut eius Apostolis ordinata sunt, etiam sectarij fatētur. Quorum dux Lutherus scribit: *Habet Ecclesia & alios quosdam externos ritus, per quos illa neque corpore neq; animo sanctificatur: Qui quidem nec à Deo instituti aut mandati sunt, sed propter corporalem vsum ac necessitatem, & propter decorum & εὐταξίαν retinentur. Vt cum feriæ instituuntur aut seruantur, certi dies & horæ insigniuntur, vt popu-*

[Margin note: Luth. to. 7. Vitt pag. 3.154.]

populus sciat, quo tempore conuenire debeat ad audiendum & discendum Euangelium, ad vsum Sacramentorum, ad precandum; cum templa conduntur; cum ara, suggestum, baptisterium, candelabra, faces cereæ, campanæ, vestes sacerdotales, & huiusmodi alia vsurpantur. Et paulo post: *Hunc ordinem seu ευταξίαν nemo sine caussa (id quod nullus Christianus facit) petulanter aut arroganter, ad efficiendam ἀταξίαν seu deordinationem, contemnere, sed propter publicam cœtus vtilitatem conseruare debet; aut certe non turbare aut impedire. Nam hoc alienum est à caritate & humanitate.* Confessionis Augustanæ & hic articulus est: *De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa, & similia.* Hoc improbant, quod ad rituum & similium obseruantiam homines in conscientia atque sub culpa letali obligentur. Scilicet, iustum patris præceptum obligat in conscientia filios; leges ciuiles plurimæ non sine graui peccato negliguntur; & minor sit Ecclesiæ in sibi subditos auctoritas, quã patrisfamilias aut laici principis? Confessionis Augustanæ scitum est: *Necessario debent Christiani obedire magistratibus suis & legibus.* An politicis, non autem Ecclesiasticis?

Confessio Augustana art. 15.

Confessio Augustana art. 16.

maius

maius ne ſecularis principis in conſcientiam ius, quam Eccleſiæ? *Obedite præpoſitis veſtris,* iubet Apoſtolos; non eſt locus obedientiæ, vbi leges exulant. Sed onerantur conſcientiæ? duræ ceruices, parere neſciæ niſi compellantur, pij non ſentiunt onus; *quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis.* quantum onus (Lutheri recolo verba) ſeruire *publicæ vtilitati*, omittere, *quod nullus Chriſtianus facit*, aut *alienum eſt à caritate & humanitate?*

Hebr. 13.

1. Tim. 1.

§. 53. Ceterum obſeruatis his, quæ hactenus deduximus, obuium erit cauere præſtigias & tendiculas ab aduerſariis poſitas. Præter ea quæ ex Heilbronnero §. 46. attuli, & poſtea amplius examinabo, venit ad manus meas charta per quoſdam ſparſa, & præcipuè aulæ cuiuſdam Catholicis tanquam Gordius nodus propoſita; hoc titulo: *Catalogus aliquot articulorum religionis, quos Euangelici cupiunt ex Dei verbo refelli, ſi id Pontificiis poßibile eſt.* Sequitur: *Primo petunt ſibi oſtendi conuenientiam Pontificiæ Eccleſiæ cum prima, Apoſtolica, principali, matrice Eccleſia, quæ ob indubiam puritatem merito omnium poſteriorum regula & norma eſt; & hoc ipſis demonſtrandum eſt, non ex fallacibus indiciis, vel dubiis ſuſpicionibus, aut excogitatis traditionibus hominum;*

ſed

sed ex clarissimis, indubitatis scripturis ipsorum Apostolorum: ostendendum ipsis quoque est, Apostolos idipsum credidisse & docuisse, quod Romanenses credunt & docent de Missa; de Transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi; de cœna sub vna specie; de adoratione Hostiæ panis, de circumgestatione & inclusione eiusdem; de merito status religiosi; de merito gratiæ Diuinæ ex condigno, de meritis sanctorum, de operibus supererogationis Monachorum & Monialium, quibus possunt etiam aliis hominibus mereri vitam æternam; de primatu Romani Pontificis, & eminentia super Concilia, Imperatorem, Angelos in cælo, omnem legem & ordinationem, epistolas Pauli, quin supra ipsam vniuersam sacram scripturam, atque etiam super omne quod Deus Deique cultus dicitur. ostendatur quoque ipsis, Apostolorum principalem & matricem Ecclesiam idem tenuisse, quod Romanenses, de imaginum cultu & veneratione, de inuocatione defunctorum Sanctorum, de purgatorio. de baptismo campanarum, de prohibitione coniugij, de cœlibatu sacerdotum, quod grauius delinquant ductis vxoribus, quã si concubinas habeant; item de vetitis quibusdã cibis, de permissione, qua Iudæi supremi hostes Christiani nominis possunt, data pecunia, ædificare scholas, in quibus libere, impune hyperdiabolicas suas blasphemias aduersus æternũ Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum euomant;

mant; qualis licentia à Romano Pontifice, qui scilicet, errare nequit, Iudæis datur, vel potius venditur, iuxta taxam pœnitentialem Romanæ cameræ: item de papalibus Indulgentiis, & remißionibus peccatorum pro corruptibili auro & argento, & de pluribus aliis Pontificiis dogmatibus. Hic, dicunt Euangelici, sitam esse sponsam, pro qua saltandum est presbyteris, monachis, nonnis & Iesuitis.

§. 54. Hæc habet illa charta, sed Germanice. Quorum autem ista sunt iussa? Quibuscum loquimur? cum Euangelicis. Iam sesquimille & pluribus annis annunciata est fides Christi, nunquam fideles dicti sunt Euangelici, sed Christiani & Catholici, priori nomine inprimis à Iudæis & infidelibus in Christum non credentibus, altero ab omnibus hæreticis secernebantur, veræ Apostolicæ fidei hæredes, quales si vos essetis, nec à nominis consortio excluderemini. Vel inauditum tot seculis nomen Euangelicorum, portendit pseudeuangelium. nō agimus de particularibus cœtibus, qui vt à ceteris discernantur, nouis quotidie nominibus indigitantur; sed omnibus fidelibus commune nomen est, Christianus; ceu cognomen Catholicus. hinc S. Pacianus: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen.* Verum nec Euangeli-

Pacianus ep. ad Sempronianū.

gelicorum nomen eſt veſtrum, ſed hac larua nomina veſtra occulitis; Lutherani eſtis, Caluiniani, Zvvingliani, Stancariſtæ, Maioriſtæ, Oſiandrini, Flacciani; his vos nouimus nominibus; Euangelicorum audito nomine nec voſmet ſcitis, qui nam horum, an omnes illi ἀδελφοὶ fratres deſignentur. Sed metuitis infamiam propriæ appellationis, non ignari à SS. Patribus certam hæreſis notam tradi, ſi qui à Valentino, Marcione alioue pręter Chriſtum ſuę religionis auctore cognominentur; de huiuſmodi S. Hieronymus: SCITO *non Eccleſiam Chriſti, ſed antichriſti eſſe ſynagogam.*

Hieron. contra Luciferianos.

§. 55. Ceterum rapinam eſſe vſurpatum Euangelicorum nomen ex veſtris verbis demonſtro. primo enim verè Euangelici, non mentiuntur, non criminantur: in modica charta veſtra quot pſeudologiæ, lædoriæ? Falſum nos adorare, circumferre hoſtiam panis; poſt conſecrationem non panis, ſed Chriſti caro ac ſanguis eſt, quæ adoramus, & omnibus veneranda circumeuntes proponimus. Falſum, nos docere, quod gratiam mereamur ex condigno, quod Monachi aliis mereantur vitam æternam, ſi abſolute de merito, nempe ex condigno, loquamur. Põtificem & quem-

uis Episcopū potestate super corpus Christi mysticum in terris antecellere Angelis, hos vero sanctitate, beatitate superiores esse quis negauerit? vos nescio quam calumniam struitis. Hyperdiabolica, vestro vtar verbo, criminatio est Pontificem nostrâ sententiâ esse *super omnem legem, epistolas Pauli, vniuersam sacram scripturam, quin super omne quod Deus & Diuinus cultus dicitur.* Asserit non nemo Canonistarum Pontificem posse statuere contra epistolas Pauli, in his quæ fidem non concernunt: puta, quemadmodum & consuetudo præpotuit. Pauli ordinatio est: *Mulier velet caput suum. Vir non debet velare caput suum.* quis hodie hæc propter Apostoli iussum obseruat, si obseruat? nemo tamen populi mores adeoque nec Pontificem absolute, sine limitatione scriptis Apostolicis præire dixerit. cetera supersunt immania conuitia. Campanorum benedictio scurriliter vocatur baptizatio. Mendaciis accensendum, quod prohibeamus coniugium; non prohibet vinum, qui cohibet ebrietatem; non odit matrimonium qui detestatur adulterium: adulterum, & adultero priorem esse, qui post castitatis votum nuptias contrahit indubitatum SS. Patribus fuit. S. Chrysostomus

r. 11.

ſtomus Theodoro monacho reſcribit: *Vxoris laqueis implicari, adulterij crimen eſt*. S. Hieronymus: *Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quam inceſtæ*. S. Ambroſius: *Quæ ſe ſpopondit Chriſto, quæ ſanctum velamen* (aut mas ſacrum ordinem) *accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere communi lege connubij adulterium perpetrat*. S. Auguſtinus: PLANE *non dubitauerim dicere lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis eſſe priores*: ergo & ſimplici, vt vocari ſolet, fornicatione. Et de his Patribus, quos Lutherus veſter teſtatur fidem Chriſti PVRE docuiſſe, loquatur Apoſtolus vaticinans venturos, qui attendentes doctrinis dæmoniorum prohibeant nubere? Similiter ad eoſdem alioſque viros ſanctiſsimos ieiunij ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ magiſtros pertinebit, quod de futuris pſeudodidaſcalis cibos vetantibus Paulus prædicit? Neſcio an tantum hæreticus odiſſet Iudæos, ſi non libuiſſet aduerſus Romanam cathedram leuare calcaneum, quam mentitur Iudæis accepto pretio permittere, vt hyperdiabolicis (vberteuffeliſche) blaſphemiis Dei filium proſcindant. Tolerantur Iudæi, non blaſphemiæ, nec harum licentia venditur,

Chryſoſt. ep. ad Theodorum
Hieron. li. 1. contra Iouin. cap. 7.
Ambroſ. ad Virginem lapſam.
Aug. cap. 11. de bono viduitatis.
Luth. relatus supra §. 42.
1. Tim. 4.

etiamsi pro concesso habitationis aut ciuitatis vsu census exigatur: tolerantur, vt conuertantur, & spectaculum atque in testimonium sint fidelibus; quare pro illis etiam rogat Patrem vnigenitus: *Ne occidas eos; nequando obliuiscantur populi mei.* Nec Lutherus semper in Iudæos sæuiendum censuit, pro quibus anno 1523. scripsit: *Si Apostoli, qui & ipsi Iudæi fuerunt, tam fraterne tractarunt nos Gentes, debemus & nos vicissim, si nihil aliud nos moueat, fraterne tractare Iudæos; si qua forsan fiat, vt aliqui ipsorum conuertantur.* Vt illi à blasphemiis non solum in vrbe, sed toto passim orbe coërcerentur, Pontificum cura fuit, vt patet ex Innocentij III. decreto: *Distinctissime inhibemus, ne in contumeliam creatoris prosilire præsumant. Et quoniam illius dissimulare nõ debemus opprobrium, qui probra nostra deleuit, præcipimus præsumptores huiusmodi per principes seculares condignæ animaduersionis adiectione compesci, ne crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant.* Quid si Euangelici, vt audire volunt, vno mense plures in Deum, & eius in cælo terraque Ecclesiam blasphemias euomerent, quam Iudæi Romæ pluribus annis? De Euangelicis Caluinistis scribit Euãgelicus Lutherista: *Conuitia, criminationes, blasphemias horribiles*

lm. 58.

th. to. 7. ...it. pag.

...15. de ...ais.

...lüssel- ...g. lib. 3. ...alogi ...er. pro- ...533.

biles in Christum & verborum Christi defensores, præter omnem modum ac finem effundunt. Calumniæ de Iudæis impune Romæ blasphemantibus adnectitur alia Euangelicis sueta, quod indulgentiæ & peccatorum remiſsiones pro auro & argento veneant. Ecce in breui ſcripto quantæ impoſturæ, quot ſycophantiæ? id finitur Euangelica coronide; ad ſaltandum pro ſponſa euocantur ſacerdotes & monachi nec non Ieſuitæ. nihil ſcilicet amicius quinto Euangelio, quam choreæ, nuptiæ & ſympoſia: hic theſaurus, hoc cor Euangelicorum eſt.

§. 56. Nunc de dogmatis, quæ noſtra eſſe agnoſcimus, breuiter reſpondeo: Apoſtoli idem plane quod nos crediderunt de Miſſæ ſacrificio; de Tranſubſtantiatione, de SS. Euchariſtiæ vſu ſub vna ſpecie, de eiuſdem adoratione, aſſeruatione, de merito bonorum operũ, de operibus ſupererogationis, de Romani Pontificis primatu, de cultu ſacrarum imaginum, de ſanctorum inuocatione, de purgatorio, de coniugio poſt votum caſtitatis prohibito, de cœlibatu ſacerdotum, de abſtinentia à quibuſdam cibis tempore ieiunij, de Indulgentiis ad tollendas temporales pœnas proficuis. hæc omnia quo ad rẽ ipſam

Apostolos tenuisse, & per eos ad nos descendisse certissimo probant partim sacræ litteræ, partim sanctorum Patrum testimonia, & Ecclesiæ traditio, vt Cardinalis Bellarminus aliique Catholici abunde ostenderũt. Dixi quo ad rem ipsam, & quasi substantiam omnia illa ab Apostolis esse credita: iis postea accessisse nonnulla ceu emblemata, & ornamenta, non ab Apostolis esse quosdam ritus, ceremonias, benedictiones nemo negat: & Ecclesias in huiusmodi liberas esse Lutherus quoque admisit. Fatemur ab Apostolis non esse preces plerasque Missæ, sed substantia sacrificij ab Apostolis tradita ab eiusmodi precibus non dependet. Similiter SS. Eucharistiam omni honore & publica etiam solemnitate dignissimam esse nihil dubitarunt Apostoli, nec hac in re vllos fidelibus posuere limites. Scilicet pompæ seculares, vt triumphales, funebres, nuptiales non aduersantur doctrinæ Apostolicæ, sed festiua gratulatio, publica gratiarũ actio, solennis lætitiæ protestatio Deo & Christo eius institui seu fieri non debet, nisi perlecto toto testamento, in quo clare exprimi debet: quemadmodum cap. 51. Genesis legit Dauid pompam, quam reducendæ ar-

cæ

cæ Domini instituit. 2. Reg. 6. Campanarum benedictio an improba, quia non ab Apostolis introducta? nec vsus earum erat Apostolorum tempore, quibus tamen hodie vtuntur sectarij. Semper in his ritibus sua stabit Ecclesiæ libertas.

§. 57. Sed cupiunt Euangelici omnia dogmata ex clarissimis scripturis Apostolorum exhiberi, rident Apostolicas traditiones; quas tamen nemo spernit, nisi hæreticus, vere αὐτοκατάκριτος seipse condemnans, & vt sic dicam falsificans; nam soli scripturæ credendum esse nullibi *clarissime* scripserunt Apostoli; & ipsis scripturis non creditur sine traditione; hanc quoque fidissimam fidei regulam esse pulchre probant quæ Lutheranus Hunnius pro scripturę auctoritate disputat. *Quamuis nos, qui iam viuimus, scripta testamenti noui Euangelica, siue Apostolica non accepimus ex ipsis Apostolorum manibus, accepimus tamen ea, à nobis proximis, & hi à suis proximis Maioribus, qui & retrò à suis acceperunt, donec continua serie ascendēdo perueniatur ad eos, qui Apostolos viderunt, audiuerūt, hæc ab ipsis prædicata, conscripta, edita, & Ecclesiæ Dei, tanquam depositum sanæ doctrinæ, fideiq; normam esse relicta. Quis, obsecro, hîc potest esse dolus? quæ fraus? quæ impostura? aut quæ etiam in-*

Hunnius art. de n... testate scriptura, argumento 14. fol. 23. & seqq. fol. ... Latin. operum.

certitudo? si vel hi, vel illi proximi maiores non accepissent ea à suis maioribus, sed finxissent se accipere, cùm essent ipsi ea commenti: An putas eius temporis homines, nil nisi truncos & stipites futuros fuisse, qui hanc palpabilem, & vniuersis sensibus obuiam imposturam non obseruassent? Hæc ille pro vna traditione, qua scriptura Canonica ad nos peruenit; eadem in ceteras Diuinas aut Apostolicas traditiones de Missæ sacrificio, de ieiunio Quadragesimali, quã planissime conuenire perspicuum est. Pro quibus præter mentem suam mox plura subdit idem *clarissimus*, vt à suis laudatur, *Confessionis Augustanæ Theologus: Etsi omnino hæc Euangelistarum & Apostolorum scripta hæcq; vniuersa Christianorum religio aliunde, quàm à Christo, profecta, & ab aliis, quàm Apostolis, consignata literis fuissent, (cuius tamen affirmati nullibi locorum, terrarum atq; gentium vel leuissimum argumentum aut vestigium extat vllum) dubium tamen non est, quin (si quis confinxisset alius) hæc tanta res ad omnem posteritatis memoriam adminiculo historiæ transmissa fuisset; quis nam esset ille, qui tantam, tam mirandam, tam insperatam & inauditam sacrorum mutationem orbi terrarũ intulisset; qui reliquis omnibus cultibus abrogatis, nouam in humano genere constituisset religionem, & quasi nouum mundum, destructo veteri, condidisset.*

disset. Hoc certè vel ipse autor posteris historiæ beneficio fuerat transmissurus, vt (quæ sunt ambitione homines) immortalem hinc sibi gloriam nominisq́; famam compararet: aut profectò alij historici rem tantam neutiquam reticuissent. Etenim cùm Historiographi omnium temporum res gestas longè etiam viliorũ momenti literis mandarint, accuratè singulis annotatis circumstantijs; quomodo, rogo, tantam mutationem totius mundi (quanta post homines natos nulla vnquam extitisset) æterno silentio sic præteriissent, vt ne vnus quidem ex omnibus leuiter vel attingeret saltem? Quid ni exquisito studio fuissent exposituri, quis, quibus præsidijs & adminiculis adiutus, quo item modo, quo tẽpore, quo progressu & successu, insignem istam mutationem cultuum sacrorum, religionumque introduxerit? quibus argumentis & rationibus doctrinam nouam cunctisq; inauditam seculis, & rationi insuper hominum è diametro repugnantem persuadere potuerit tot populis, & tam variarum linguarum, diuersarum legum & statutorum, distinctorum imperiorum, contrariorũ ingeniorum, discrepantium morum, & disiunctißimarum consuetudinum hominibus atque gentibus: vt damnata religione Maiorum auita, hanc nouam non modò reciperent, sed omninò pro cœlesti & sacrosancta veritate agnoscerent, & per mille discrimina, persecutiones ac mortes liberrimè profiterentur? Lucu-

lentũ teſtimonium pro inuocatione ſanctorum, cultu ſacrarum imaginum, ſeptenario ſacramentorum numero, aliiſque Romanæ Eccleſiæ, quæ ſectarij impugnāt, dogmatis. Dicite, quis ſe horum auctorem laudauit, quis hiſtoriographus ſuo hæc tempore inſtituta ſcripſit, quomodo totus orbis Chriſtianus in nouam, rationi adeo, vt contenditis, repugnantem doctrinam, in ſacramenta ante inaudita, ſuperſtitionis (quæ veſtra criminatio) plena conſenſit? Eadem Eccleſia teſtatur quatuor eſſe Euangelia, & ſanctos pie inuocari tradit, vtriuſque traditionis par eſt auctoritas, vtriq; ſine hæſitatione credendum eſſe probant, quæ diſputat Hunnius: & ſi vel vna recipiatur inter ea, quæ Diuina fide credenda ſunt, occidit effatum veterum nouorumq; hæreticorum; Nihil eſſe credendum, quod in ſcripturis non aperte traditur, nec ex eis euidenter deducitur.

§. 58. Enimuero ex ore veſtro vos iudico; ſi falſa nec Apoſtolica eſt Eccleſia, quæ non omnia ſuæ religionis dogmata ex CLARISSIMIS ſcripturis Apoſtolorum demonſtrat, clariſſimum eſt vos impoſtores, pſeudoprophetas eſſe, qui tot paradoxa aduerſus vetuſtam traditionem, SS. Patrum

trum consensum, renitente ipsa scriptura, in mundum inuexistis. Annũciate nobis, viri Euangelici, vbi clarissime scriptum sit Christum secundum humanitatem esse, & mox in ipso conceptionis suæ momento fuisse VBIQVE; vel vt alij syneuangelici clarissime in scriptura legunt, Christum solum in cælo iam, in sacramento non esse realiter pręsentem, vbi CLARISSIME scriptura, nobis peccata non tolli, aboleri, sed contegi; opera bona esse peccata, nullius apud Deum meriti; neminem habere fidem Christi, nisi infallibiliter credat se iustum esse, beatum fore; caritatem à vera fide esse inseparabilem; duo solum esse sacramenta; infantes sine baptismo decedẽtes saluari ob fidem parentum, vel ex prædestinationis decreto; & alia sexcenta? Nil hodie suis ita inculcant fratres Euangelici, quam Petri cathedram esse Antichristi sedem: in hoc maxime articulo nouelli magistelli artis suæ experimenta dare volunt, & CLARISSIMIS scripturis mysterium ipsis etiam Prophetis & Apostolis vt dicunt, incognitum patefaciunt, vt ex hoc paradigmate cernere est. De antichristi persona Paulus: *Homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur*

2. Thess. 2.

citur Deus, aut quod colitur: ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Non opus interprete; quiuis intelligit CLARISSIME Antichriſtum NON eſſe vnum hominem, ſed centum ſeptuaginta duos à Gregorio Magno vſque ad Paulum V. Pontifices, & plures adhuc, qui ſuccedent vſque ad finem mundi, & tum ILLE *iniquus*, id eſt, omnes illi Pontifices & qui futuri ſunt, interficietur ſpiritu oris Domini, etiam illi, qui pluribus ante ſeculis ſunt defuncti: nam extulerunt ſe ſupra omne quod dicitur Deus; vnde ſe ſcribunt ſeruos ſeruorum Dei. De eiuſdē Antichriſti moribus plura Daniel:

Daniel. 11.

Magnificabitur aduerſus omnem Deum; Deum patrum ſuorum non reputabit, & erit in concupiſcentiis feminarum, nec quemquam Deorum curabit: Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius colet auro & argento. Deus Maozim CLARISSIME eſt Miſſa; conueniunt nomina tribus integris litteris, M. A. I. quas etiam in proprio Lutheri nomine Martin reperies; & in Miſſa Pontifex adorat Deum, quem patres eius, Apoſtoli & vetuſti doctores neſcierunt, id eſt, Ieſum Chriſtum: hic enim in Miſſa, non alius Deus adoratur. Nec dubitare licet Miſ-

Missam à Pontifice inuentam, & quidem ab Antichristiano, tametsi constet hoc sacrificium iam in vsu fuisse ante 1200. 1300. 1400. annos, nec iota aut apex de institutione Pontificia habeatur. Idem Propheta Antichristi describit potentiam: *Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque & Æthiopiam transibit.* Quis neget per AEgyptum, Africam, AEthiopiam CLARISSIME intelligi Germaniam, Galliam, Hispaniam, & plures alias prouincias, ex quibus Papa per legatos à latere pecuniarum thesauros compilat? Quamdiu tanquam monarcha supremus regnaturus sit Antichristus, prędicant Daniel & Ioannes Apostolus: *Menses 42.* integros *dies 1290.* En menses 42. CLARISSIME significãt menses 1480: per dies vero 1290. aperte intelliguntur anni 1290. In Apocalypsi numerantur dies 1260. quibus prophetabunt duo testes. *Hi sunt* DVAE *oliuae*. DVO *candelabra in conspectu Domini. Et cum finierint testimonium suum bestia,* id est Antichristus, *occidet eos: & corpora eorum iacebant in plateis ciuitatis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Et post tres dies & dimidium* reuixerunt. *Et audierunt vocem magnam de caelo dicen-*

Daniel. eod. cap.

Daniel. 12.
Apocal. 13.

Apocal. 11.

centem eis: Ascendite huc: Et ascenderunt in cælum in nube. Horum testium alterum esse Enoch plerique, alterū Eliam omnes Patres senserunt, præsertim cum Malachias ex ore Domini prædicat: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam,* Thesbiten, vt habent 70 *antequā veniat dies Domini magnus & terribilis.* Sed hallucinati sunt septuaginta, errarunt omnes Patres; nam meridiano sole clarius est dies 1260. vertendos in totidem annos, per DVOS testes DVAS oliuas, DVO candelabra intelligi Hussum hæresiarcham, aliasque quisquilias, quotquot os suū in Pontificem aperuerunt; qui à Papa occisi in vrbe, in qua Dominus est crucifixus, nempe Romæ, Florentiæ, Constantiæ, &c. & post tres dies & dimidium, id est, post annorū centuriam vnam, pluresue reuixerunt in DIVO Luthero, CALVINO, Zvvinglio, Schvvenckfeldio, ceterisque hæresiarchis, qui plerique in conspectu suorum inimicorum naturali morte defuncti ascenderunt in cælum, puta Brentianum, seu Lutheranum Vbiquisticum, quod etiam in inferis reperitur. Subiit interdum mirari, quomodo olim in abscurdissimas hæreses consenserint tam multi, & ex iis ingenio & litteris clarissimi, sed desino mirari

vete-

veteres, cum nostro tempore video aures animosque nec à rudibus solum præberi insulsissimis commentis, & palpabiles tenebras tanquam clarissimos solis radios deligi. Legite obsecro, relegite ipsi scripturas, & periclitamini vtrum CLARE exprimant Pontifices iam à 10. seculis esse Antichristum. Iubent vos Prædicantes susque deque habere omnes veterum & sanctissimorum Patrum interpretationes, scripturas rem CLARISSIME pandere; relinquite ergo iure vestro, & nouos interpretes, videte & palpate, an CLARA, nedum CLARISSIMA SINT, quæ aduersus vniuersam antiquitatem Diuina fide credenda proponuntur.

§. 59. Deprehenso porro vel vnico mendacio seu errore, qui passim publice in religionis articulis pertinaciter defendatur, euidens fit, cœtum tali religioni addictum non esse veram Christi Ecclesiam; quam frustra quæritis à Petri, super quem ceu vicarium fundamentum ædificata est, cathedra separatam. Cui cathedrę adhæsisse iam mille annis orbem Christianum adeo clarum est, vt nec aduersarij diffiteantur. An mille anni, tanquam dies vnus, reputabuntur? Pro paradoxo habuit S. Cyprianus

nus martyr admittere Ecclesiam, sex annis, bonis sacerdotibus destitutam fuisse; παραδοξότατον ergo fuerit sibi persuadere in ouili Christi mille annis lupos loco pastorum rexisse. Florentinum Pupianum his verbis alloquitur S. Cyprianus: *Quis hic est superbiæ tumor, quæ arrogãtia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos & sacerdotes vocare; ac nisi apud te* (& nostros Euãgelicos) *purgati fuerimus, & sententia tua absoluti,* ECCE *iam* SEX (MILLE & pluribus) *annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Christus antistitẽ, nec Deus sacerdotẽ.* Sed meras laruas diabolicas, bestias, & bestiis rudiores, vt furit Lutherus: *Papa & Cardinales,* notate stilum Apostolicum, *magni & rudes asini asinos equitant ipsis multo præstantiores & meliores: verus & naturalis asinus, qui molendinarios saccos portat, & carduos suas lactucas vorat, Romanam Curiam iudicare potest, & omnes creaturæ cum eo: asinus enim non ignorat se esse non bouem, sed asinũ; item scit se esse marem, & non feminam. Sed furiosi papasini Romæ nesciunt se esse asinos, imo nesciunt vtrius sint sexus, mares vel femellæ.* MANIFESTA *veritas, Papam, Cardinales cum tota Romana Curia & omnibus sectis nihil aliud esse, quam stabulum plenum magnis, rudibus, stupidis, & sceleratis asinis,*

Luth. to. 7. VVitteb.

asinis, qui NIHIL *norunt in sacra scriptura,* NIHIL *de Deo,* NIHIL *de Christo,* NIHIL *de Ecclesia,* NIHIL *de Episcopis,* NIHIL *de verbo Dei,* NIHIL *de spiritu,* NIHIL *de Baptismo,* NIHIL *de sacramento Eucharistiæ.* NIHIL *de clauibus,* NIHIL *de bonis operibus, aut quid hæc denique sint, quod vt verum sit* EVIDENTISSIME *testantur eorum libri. Decreta* (plena vetustæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum sententiis) *Decretales, Sextus, Clementinæ, Extrauagantes, Bullæ & innumerabiles libri.* Hæc & multo grauiora in Romanum sacerdotium; sacerdos Apostata annum antequã in cælum suum ascenderet. *Quæ si recipiantur, necesse est, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, Leuitæ & sacerdotes, tanta Confessorũ millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot Insulæ, Prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus postremo iam pene terrarum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet pronuncietur.* Magnos, stupidos, sceleratos asinos, tanquam fidei magistros, sacerdotij culmina venerati sint S. Hildephonsus, S. Beda, S. Anselmus, S. Eucherius Lugdunensis, S. Bonifacius, S. Rupertus, S. Kilia-

Vincent. Lirin. c. 33.

H nus,

nus, S. VVilibaldus, S. Vdalricus, S. Conradus, S. VVolffgangus, S. Svvibertus, S. Corbinianus, S. Burchardus, S. Stanislaus, S. Malachias, S. Hugo Gratianopolitanus, S. Hugo Cluniacensis, S. Odilo Cluniacensis, S. Norbertus, S. Bernardus Ecclesiarum lumina? Quid memorem Christianissimos Imperatores, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, Lotharium, Othonem Magnum, S. Henricum? quid virtute quam regno clariores, S. Richardum, Eduardũ, Osvvaldum Angliæ, S. VVenceslaum Bohemiæ, S. Ludouicum Galliæ, S. Stephanũ Vngariæ reges? quid S. Geroldum Saxonię aliosque duces, dynastas sapientia, religione, in Deum ac homines pietate illustres? quos omnes liquidissimum est Romanæ sedi in fide consensisse.

§. 60. Atqui defugere videbimur priores ætates, ad quas prouocamur, vt ex iis nominemus, qui nostra dogma tenuerint, ante annos videlicet 1200. 1300. 1400. In tuto res est, cur fugeremus? Nostri sunt, S. Iustinus, S. Irenæus, S. Cyprianus, S. Hilarius, Athanasius Magnus, Basilius Magnus, SS. Gregorij Neocæsariensis, Bœticus, Nazianzenus, Nyssenus, S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ioan-

Ioannes Chrysostomus, & quotquot vnquam religione vitæque sanctimonia claruerunt, nemine excepto. Neque enim superiore §. laudati venerabilis Beda, S. Bernardus, &c. Carolus Magnus, S. Henricus I. Otho magnus fuerunt hæretici aut hæresiarchæ, sed maiorum suorum fidei institerunt; antiquitus tradita fideliter receperunt; ac proinde ex posteris discimus quæ anteriorum fuerint dogmata; vel dicatur qui, vbi, quando ab auita religione discesserint. Deinde omnes illi Patres in fide communicarunt cum Romanis Pontificibus, qui ipsorum ætate in Petri cathedra sedebant; à vetustis Pontificibus defecisse eorum successores mera calumnia est; ergo nec Patres illi aliud crediderunt, quam hodie credamus. plerique iam nominati sub S. Damaso & Siricio Pontificibus vixerunt, vtriq; in fide consensisse orbem Christianum constat. *Beatitudini tuæ*, scribit ad Damasum S. Hieronymus, *id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatã Ecclesiam scio.* Et S. Optatus Mileuitanus: *Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus cui successit Linus, &c. Iulio successit Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius; cum quo nobis totus*

Hier. ep. 57.

Optatus lib. 2. contra Parmenianũ.

 orbis

orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat. Hæc Optatus siue sub Siricij, siue sub Damasi apposito post Siricij nomine, Pontificatu: de vtroque Pontifice vera sunt; liquet etiam vtriusque tempore iam in Ecclesiis viguisse inuocationẽ Sanctorum, sacrificium Missæ pro viuis & defunctis oblatum, cœlibatum sacerdotum, Primatum Romanæ sedis: quæ præcipua Antichristianæ perfidiæ capita esse contẽdunt Sectarij. Quam furiose illi debacchãtur in Primatum, cuius se legitimos hæredes ipsius Domini ordinatione quanti, quam vetusti scripsere Pontifices? B. Damasus: *Oportet nos, qui supra domum Domini, hoc est, vniuersalem Ecclesiam Catholicam Episcopale suscepimus munus; sollicite vigilare.* Et: *Scitis, fratres carissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atq; titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutum, verticem Ecclesiarum. Tu es enim (sicut Diuinum pronunciat Verbum veraciter) Petrus, &c.* Siricius suum de generalis baptismatis tempore decretum hac clausula commendat: *Præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus* VNIVERSALEM *construxit Ecclesiam, sodalitate diuelli.* Idem cum Apostoli

Damasus epist. ad Stephanũ & Concilia Africa.

Siricius ep. 1. ad Himerium Episcopũ Tarraconẽsem.

postoli

ſtoli præceptum , ne ordinentur digami, renouaſſet, ſubdit: *Quid ab* VNIVERSIS *poſthac Eccleſiis tenendum ſit, quid vitandum, generali pronunciatione decernimus.*

§. 61. Ex his ſic argumentari licet: S. Damaſus, Siricius, Athanaſius Magnus & ceteri eiuſdem fidei Doctores, vel noſtræ, vel nullius, quæ hodie ſuperſit, religionis fuerunt; ſecundum dici nequit; primum ergo recipiatur neceſſum eſt. Maior eſt euidens: certiſsimum eſt S. Damaſum, S. Ambroſium, S. Hieronymum credidiſſe, approbaſſe, quæ Lutherani, Caluiniani, Anabaptiſtæ, & ceteri ſectarij noſtri in ſuperſtitionibus fundamēta fidei labefactātibus, in horrificis blaſphemiis , diabolicis inuentis numerant: conſtat quoque Patres illos ab erroribus Orientalium ſchiſmaticorum & hæreticorum alienos eſſe ; ergo Romanæ Eccleſiæ membra habendi ſunt: maxime cum non tantum coæuis ſibi Pontificibus adhæſerint, ſed cathedrā Romanā prædicarint eſſe petram ſuper quā fundata, & vſq; ad finem mūdi ſtatuta ſit Chriſti Eccleſia; ad quam *perfidia non poßit habere acceſſum*, vt S. Cyprianus loquitur. Sicut ergo, qui hanc fidem noſtro profitetur tempore , implicite ſaltem recipit ſe firmiter

Cypr. ep. 55.

 cre-

crediturum, quicquid vnquam nō solum præsens Paulus V. sed quicunque successores eius ex Romana cathedra docuerint; ita S. Hieronymus, exempli gratia, in Damaso omnibus eius successoribus se consociauit, dum protestatur: *Super Petri cathedram, super illam petram ædificatam esse Ecclesiam* SCIO. Et S. Augustinus si in hanc horam viueret, nunquam se à Romana cathedra auelli siuisset, cuius admiratione & auctoritate Manichæos deseruit, & Catholicæ Ecclesiæ se inseruit; *in cuius gremio*, testatur ipse *tenet me ab ipsa sede Petri Apostoli vsque ad præsentem Episcopum* SVCCESSIO *sacerdotum*. Sequatur in hæc verba Lutherus, Zvvinglianus, Caluinianus, &c. si Augustinum existimat se habere suæ religionis consortem: nos soli fidenter sequimur: soli proinde de hoc & aliis sanctis Patribus, vt nostræ religionis sociis non insipienter gloriamur.

Hieron. epist. cit.

Aug. cap. 4. contra ep. fundamēti.

§. 62. Inuident hanc gloriam falsi fratres, & cuculant, apud vetustos Patres de pluribus articulis nostris nihil haberi. Sed inprimis non hoc agitur, vtrum omnia omnino apud Patres scripta inueniantur, constat non inueniri apud singulos; fallax tamen foret illatio, hic vel ille Pater nihil scri-

ſcripſit de proceſsione Spiritus ſancti à Patre & Filio; de perpetua Deiparæ virginis virginitate, de Beatorum in cælis gloria; de ſupremi iudicij die; ergo ea non credidit; vel ergo in fide diſſenſit ab his, qui talia credunt. Nec nos à Prædicantibus exigimus, vt aliquem ante Lutherũ exhibeant, qui vniuerſam Lutheri doctrinam ſcriptis reliquerit. hæc noſtra libera & inuicta vox eſt: Nullum ex omnibus Chriſtianis Doctoribus ab Apoſtolis vſque ad Lutherum eam doctrinam tanquam veram & Apoſtolicam recepiſſe, quam tenuit Lutherus; ſed omnes & ſingulos vnum, duo, plures articulos docere Lutheranis, Caluinianis, &c. dogmatibus ex diametro oppoſitis. v.g. non inferimus; Neoëuangelici negant ſanctos eſſe inuocandos, Baſilius Magnus, frater eius S. Gregorius Nyſſenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ephrem, S. Damaſus, S. Ambroſius, S. Gaudentius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Ioannes Chryſoſtomus, S. Paulinus, Prudentius ante annos 1200. ea de re tacuerunt, adeoque non negarunt; ergo non eadem horum & ſectariorum fides eſt. Huiuſmodi imbellibus telis nos à vobis impetimur; noſtra de manu volat hoc nimium penetrabile telum:

Euangelici,(agnoſcimus antiphraſin) docent horrendam blaſphemiam in Deum eſſe ſanctorum inuocationem; Magnus Baſilius, & vniuerſus ille venerandorum patrum chorus eam, vt piam, religioſam, minime negligendam commendant: ergo non eadem vtrorumque religio eſt. Non negatiuis, ſed poſitiuis, Patrum auctoritatibus agendum eſt; non quæritur teſtimonium à mutis, ſed ab alterutram partem elocutis. Quod diligenter aduertendum eſt aduerſus ſectariorum imperitiam, qui ſi audiant; Noſter eſt Ambroſius, mox exigunt quæ volunt dogmata ſibi in Ambroſij ſcriptis oſtendi; veſtrum eſt oſtendere, cui noſtrorũ articulorum aduerſetur Ambroſius; ſi de aliquibus non egit, num ideo negauit? Nos Ambroſium & ceteros vobis abiudicamus non ideo, quod non omnes articulos Confeſsionis Auguſtanæ, Smalcaldicos, catechiſmi Lutheri (quas fidei regulas ſacris litteris adiunxere Lutherani in Concordiæ libro) Patres expreſſe tradant, ſed quia iis aperte, poſitiue aduerſantur.

§. 63. Multo minus exigimus aut exigi iure poteſt, vt omnia verba quibus hodie vtimur in Patrum monumentis exhibeantur.

tur, quaſi non ſufficiat, ſi rem ipſam illi tradiderint. ſic veteres hæretici Arriani, Neſtoriani, qui Verbum Patri conſubſtantiale, & ſecūdum carnem vere virginis filium eſſe negabant, improperabant orthodoxis, ſcriptores canonicos, vel etiam vetuſtiores Patres nō ita locutos de Dei & Virginis filio, non exſtare voces, ὁμοούσιος, θεοτόκος, quas Nicæni & Epheſini Patres receperant. Et Patribus Chalcedonenſis ſynodi obiiciebat impius Eutyches: *In qua ſcriptura iacent duæ naturæ?* verba malitioſe deſiderabat, cui res Chriſtus Deus homo, paſſim obuia erat. Noſtros quoque ſectarios interim non præterit Catholica dogmata apud antiquos Doctores legi, ſed quia recētiores illa idoneis ſcholæ terminis proponere conſuerunt, eaſdem phraſes & loquēdi modos expeditioris doctrinæ cauſſa inuentos in veterum libris inueteratorie requirunt: vt, ſacramenta operari ex opere operato, nos vitam æternam mereri ex condigno, & ſimilia.

Conc. Chalced. act. 1.

§. 64. In huiuſmodi ſutelis & technis ſtruendis egregie exercitatus eſt Iacobus Heilbronner, vt patet ex iis, quæ §. 46. attulimus; ad ea modo redeūtes ſingula (quod initio non ſtatueram) expendamus, ſat

multa paradigmata dolosarum captiuncularum vna hominis ex dolis consuti pagina exhibet. Corrasit duodecim capita catholicæ doctrinæ, quæ veterum doctorũ testimoniis euidentius destitui persuasus; instat vt vel vnicum nobis consentientem ex vetustate nominemus. Sed vetustus illi non est nisi qui ante 1200. vel plures annos vixerit, de quo * iam diximus; ceteras vulpeculæ artes intueamur. Primo petit vnum præsentari, *qui ante 1500. annos Romanũ Pontificem quicunque vsq; ad extremum diem fuerit, vniuersale caput totius Christianitatis esse crediderit, qui nequeat in definiendis rebus fidei errare, etiamsi parum ipse doctus sit, ac solus sine Concilio generali quid definiat.* De Patribus Apostolos consecutis agitur, & vulpes annosa tectis verbis nos remittit ad scripturas, præter quas vix vlla aut nulla habemus monumenta ante 1500. annos scripta, quæ non in apocryphis numerent sectarij. deinde controuersiæ puncto quædam annectuntur, quæ non nisi ad turbandam quæstionis simplicitatem seruiunt. Hoc quæritur; vtrum Romanus Pontifex sit Caput Ecclesiæ, & infallibilis in dogmatibus fidei definiendis Iudex; qui hoc Romanæ cathedræ tribuit absque temporis restrictio-

* §.47.

ctione, non limitata personæ qualitate, hoc ipso censetur loqui de Pontificibus futuris vsque ad extremum iudicij diem, de Pontificibus etiam non adeo doctis, solis sine Concilio. Cum verba sunt generalia, verbis se tuetur, qui limitationem non admittit, cuiusmodi si quis assuat, illius erit eam probare. An non insipiens foret postulatum, si quis agnosceret à Patribus tradi Pontificis de rebus fidei decreta esse infallibilia, sed exciperet Pontificem claudum vel monophthalmum, & à nobis exigeret, vt ostenderemus etiã claudis & monophthalmis auctoritatem illam competere? Tu, responderemus, proba non competere, qui vniuersalem assertionem nescio quibus exceptiunculis deartuas. Profecto infallibilis illa auctoritas nec corporis integritate, nec eruditionis excellentia innititur, sed Spiritus sancti temone, quo Ecclesiam per os Petri & successorum eius gubernat. S. Irenæus qui S. Polycarpum Ioannis Apostoli discipulum habuit magistrum annis abhinc 1400. & pluribus de Romana Ecclesia scripsit: *Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem* PRINCIPALITATEM (non ait, ob doctrinæ eminentiam) *necesse est* OMNEM *conuenire Ecclesiam,*

ſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt VNDIQVE *fideles.* nulla Concilij Generalis mentio, nulla temporis reſtrictio; ſed manifeſta ſanctiſſimi martyris definitio, cathedram Romanam eſſe ſemperque futuram fidiſsimã religionis magiſtram; alioqui falſum foret generale pronunciatum. *Ad hanc* NECESSE EST *omnem conuenire Eccleſiam.* Verum ſiſtamus Prædicanti, qui ante 1500. annos vixerunt. Tunc vixit, nec iuuenis fuit S. Euariſtus, qui annis ab hinc 1498. in Romanam cathedram ſubuectus eſt, & Apoſtolos videre, audire potuit; is vniuerſis Africæ Epiſcopis reſcribit: *Dilectio veſtra normam ſecuta prudentium, ad ſedem Apoſtolicam referre maluit, quaſi ad* CAPVT, *quid deberet de rebus dubiis cuſtodire.* S. Anacletus ab ipſo Apoſtolo Petro ordinatus presbyter, eiuſque in Romana ſede ante annos 1507. ſucceſſor ad vniuerſos Epiſcopos & presbyteros ſcribit: *Hæc ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro* PRIMATVM *obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, &c.* Idem omnibus vbique fidelibus: *Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſsione Saluatoris, vt maiores & difficiliores quæſtiones ſemper ad ſedem deferantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxit*

Euariſtus ep. 1.

Anacletus ep. 3.

Idem ep. 1.

xit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum Apostolorum principem Petrum: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nec æquum est, vt harum epistolarum nutet fides, quia eis credere nolunt hæretici; nec Domino cedunt, à quo audiunt Ecclesiam super Petri cathedra fundatam aduersus ipsos inferos inuictam fore, quibus verbis Primatum Petri eiusque successorum, & perpetuum veritatis magisterium stabiliri vnanimiter tenuerunt sancti Patres.

§. 65. Secundo petit Heilbronner vnum nominari, *qui ante annos 1200. & plures de Romano Indulgentiarum thesauro quicquam tradiderit, atq; ita scripserit, sicut iam describitur.* Nescio an in vllius hominis mentem, nedum calamum, venerit pinguis illa phantasia Heilbronneri, qui somniat nos tenere, quod Romæ sit reconditus Indulgentiarum thesaurus in quibusdam quasi carceribus, quos Pontifex aureo malleo effringat. at si thesaurus sit abundans Christi membrorumq; eius satisfactio, quis hanc abnegat? de Christo Domino audi B. Dauidem, *Copiosa eius redemptio.* Per bona opera satisfieri pro peccatis præter veteres Patres condocet aperte scriptura. Regem instituit Daniel: *Peccata tua* (id est pœnas pec-

Psalm. 1[illegible]

Daniel. 4

catis

tis debitas, de quibus euitandis loquitur propheta) *eleemosynis redime; & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Qui ergo opera pœnis integre abolendis sufficientia exhibere potest, cur nequeat abundare? de huiusmodi abundantia confisus Iob optare non dubitauit: *Vtinam apppenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Sed quod vni membro abundat hoc alteri egenti dispensatione eorũ, quibus cura corporis Ecclesiæ concredita est, applicari potest. Quare Apostolus gaudebat se per innumeras tribulationes thesaurisare Ecclesiæ: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Adaugeo, inquit, passiones, quas Christus pati voluit in membris suis, idque in totius communitatis bonum. de quo belle S. Augustinus: *Patitur Christus in membris suis, id est, in nobis ipsis, ad communem hanc quasi Rempublicam; nam quisque pro modulo nostro exsoluimus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum quasi canonẽ passionũ inferimus.* Audis, qui conferãt ad Indulgentiarũ thesaurũ? in hunc, quia martyrij candidati, carcere aliisque ærumnis afflictati largam afferre credebantur symbolam, eorum precibus lapsis pacem dabant

[margin: ...6. | ...loss. 1. | ...gust. in ...alm. 61.]

dabant Episcopi. quid interest nominis? quam olim pacem, nos vocamus Indulgentiam. de qua S. Cyprianus ante annos 1349. pro Christo passus: *Pœnitenti, operanti roganti potest Deus clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint martyres* (sic vocat quos ergastula martyrio reseruabant) *& fecerint sacerdotes.* De nostra indulgentia loquitur antiquissimus Tertullianus: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes,* addicti scilicet pœnitentiæ agundæ, *à martyribus exorare consueuerunt.* Improbauit hunc fidelium morem idem postea in Mōtani hæresin lapsus: *Sufficiat martyribus propria delicta purgasse, ingrati vel superbi est, in alios quoq; spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Quanta conuenientia Montanistæ, & Lutheristæ ac Caluinistæ? attamen dum Catholicos ille persequitur, nobis egregie testatur Ecclesiæ ante 1400. prope annos de Indulgentiarũ thesauro ex Christi sanctorumq; passionibus collecto sententiam.

Cyprian. de lapsis.

Tertull. cap. I. ad martyres.

Idem cap. 22. de pudicitia.

§. 66. Tertio rogat Heilbronner quis ante annos 1200. *de operibus supererogationis, & meritis Franciscanorum, Dominicanorum, Capuccinorum, aliorumq; his antiquiorum monachorum docuerit, sicut iam docetur.* Vulpes, hoc punctum controuersiæ est; an fideles habeant

beant opera supererogationis, eorumque merita possint quisque applicare alteri: vtramque ex scripturis probant antiqui Patres, etsi Franciscanorum, Dominicanorum non meminerint; comprehenderunt tamen eos, & quoscunq; posteros vere fideles ac pios, de Prædicãtibus nec expresse nec tacite egerunt. Opus supererogationis est, quod Deus non præcepit, sed gratum habet; vt est voluntaria paupertas, quam adolescẽti cuidam suasit Dominus: Prædicãs ait præcepisse; sed vim infert scripturæ; audi in eam annis abhinc 1200. cõmentatos. S. Chrysostomus: *In diuite alia quidem præcepit Dominus, alia vero permisit libero animi arbitrio. Non dixit enim: Vende quæ habes; sed, si vis esse perfectus.* S. Paulinus: *Consilium dat*, NON *præceptum, qui non dicit: Esto perfectus; sed, si vis esse perfectus: quia libertas voluntatis, quæ bona cum est, supra legem est, non cogitur, sed suadetur, & ipsa sibi lex est.* S. Ambrosius: *Vt intelligas distantiam præcepti, atque consilij, illum recorderis, cui in Euangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat. Præceptum etenim ibi est, vbi est pœna peccati. At verò cùm se præcepta legis memorasset implesse, consilium ei datur, vt vendat omnia, & sequatur Dominum. Hæc enim non præ-*

Matth. 19.

Heilbronner pag. 77.

Chrysost. homil. 21. in 1. ad Cor.

Paulinus epist. 2.

Ambr. lib. de Viduis.

praecepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namq; forma mandati est, vna praeceptiua, altera voluntaria. Vnde & Dominus in alia dicit; Non occides: vbi praecepit. In alia; si vis perfectus esse, vende omnia. Ergo hic liber est à praecepto, cuius defertur arbitrio. Itaq; qui praeceptum impleuerint, possunt dicere; serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Hoc virgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita exspectat praemia, sicut S. Apostolus ait; Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergò erit nobis?

§. 67. Opus quoque supererogationis est virginitas & status continentiæ tum ab Apostolo, tum ab ipso Domino commendatus. *Nec iubet Dominus, sed hortatur: nec iugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cũ habitationes multas apud patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes maioris gratiæ præmium in cælestibus obtinetis.* hæc ad virgines Cyprianus, quantus, quam vetustus? Aperte Apostolus: *Qui dederit virginem suam bene facit, & qui non dederit, melius facit.* Audis opus bonum, imo bono melius; nec censebis præceptum esse, si Patres, ad quos prouocasti, recipis. S. Optatus; *Hæc sunt ver-*

1. Cor. 7.
Matth. 19.
Ioan. 14.
Cyprian. de habitu virginum ad finem.
Opt. lib. 6. cõtra Parmen.

ba consilij, nec sunt vlla praecepta cõiuncta. S. Ambrosius: *Quod est melius non imponitur, sed praeponitur.* Ipse Apostolus: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* hoc qui obseruat, supererogat, supereffluentem in cœlis recepturus mensuram, vt, quẽ paulo ante laudaui, S. Cprianus testatur. Bene S. Hieronymus: *Quare non habet Domini de virginitate praeceptum?* Quia MAIORIS *est mercedis, quod non cogitur, & offertur.* Si ipsum supererogandi verbum quaeras, id ex scripturis erutum inuenies apud S. Paulinum, & S. Fulgentium; qui Domini promissum Lucae 10. *Quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi*; de consiliorum obseruantia exponunt, quam irremuneratam non sinet fidelis & bonus ille Samaritanus; stabulario seu dispensatori suo *redditurus beatae virginitatis de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas: quia hoc consilium praecepto adiiciens de suo supererogauit.* Haec Paulin' vir sanctissimus, S. Hieronymi, S. Ambrosij, S. Augustini praeconiis clarus.

Ambr. lib. de Viduis.

Hieron. ep. 22. cap. 8.

Paulinus ep. 4. ad Seuerum, Fulgent. prologo in libros ad Monimũ.

S. Hieron. epist 13. S. Ambros. epist. 36. S. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 10.

§. 68. Etsi porro supererogationis opera fidelibus communia sint, non propria Monachis & Religiosis; in his tamen vberiora prouenire solent, qui praeter illa tanto-pe-

ꝛopere laudata perpetuæ castimoniæ & paupertatis voluntariæ consilia dies noctes Diuinis laudibus sanctisque operibus insistunt. Si qui mali sunt, suomet sunt vitio, nec status sanctitatem maculant, de quo S. Isidorus Pelusiota: *Dei regnum Monastica vita est, vt quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat; verum alta sapiat, ac virtutes cœlo superiores præstet.* Quod autem ob merita seruorum suorum Deus benefaciat, aut parcat aliis, clare tradunt sacræ litteræ. *Si inuenero*, ait Dominus, *Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Iure ergo quisq; religiosis cœtibus communione quadam adscribi satagit; vt Deum timentium & ipse ac peculiari ratione ob maiorem coniunctionem, & spontaneum illorum consensum particeps sit. Et nullus Patrum veterum docuerit vnius virtutem prodesse alteri? non ignorarunt scripturam: ex facto Christi, qui remisit peccata paralytico intuitus fidem aliorum, concludit S. Ambrosius: *Magnus Dominus, quia aliorum* MERITO *ignoscit aliis; & dum alios probat, aliis relaxat errata.* Ad Mosen loquitur Deus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, &c.* in quæ verba S. Augustinus: *Significat Deus, plurimum apud se prodesse illo po-*

Isid. Pelus. lib. 1. ep. 129

Genes. 18.

Ambros. in cap. 5. Lucæ

Exod. 32.

Aug. quæst. 149. in Exod.

 pulo,

pulo, quia sic ab illo viro diligebatur, quem sic Dominus diligebat: vt eo modo admoneremur, cum merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.

§. 69. Quarto loco exigit Heilbronner: *Sistant nobis vnicum doctorem, qui intra secundam, tertiam, quartam Centuriam à nato Christo ita docuerit de sacrificio Missæ, sicut in Tridentino Concilio sess. 6. die 17. Sept. anno 1562. decretum est: Esse sacrificium* VERE *propitiatorium non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondũ ad plene purgatis offerẽdum.* De hoc nihil Concilium sess. 6. sed sess. 22. quæ erat sexta sub Pio IV. ideoque Prædicantem vocem sexta intuitum fefellit. Sed error hic leuior, intolerabilis iste, quod contendit, primis quatuor seculis non agnitum fuisse corporis & sanguinis Dominici incruentum sacrificium VERE propitiatorium. Quis veterum, prophetiam Malachiæ: *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*; & Saluatoris secũdum Melchisedeci ordinem sacerdotium, non accepit de sacrificio Eucharistico? ita antiquissimi martyres S. Iustinus, S. Irenæus, S. Cyprianus, &c. Quod si sacrificium est, quis tanti mysterij fructum & effectum

Malach. 1.

Iustin. dial. cum Tryphone. Iren. lib. 4. 32. Cyp. 63.

fectum contrahat, & non quam amplissimum esse credat, id Deum nobis propitiare inficietur? Non viuis tantum, sed & defunctis prodesse ex pluribus Patribus ostendi alibi Heilbronnero, reddo hic duorum testimonia, vnius Græci, alterius Latini, vtriusque in Ecclesia aduersus hæreticos tuenda clari. S. Cyrillus Hierosolymitanus, cuius laus est in II. OEcumenica synodo: *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum, pro Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & in summa, pro iis omnibus, qui egent auxilio. Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis patribus, & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarũ iuuamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.* S. Augustinus: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis* SACRIFICIVM *Mediatoris offertur, &c.*

Cyrill. Hieros. catec. 5. mystago

August. hæresi 53.

§. 70. Heilbronner quinto postulat sibi exhiberi vnicum doctorem, qui ante 1300. 1400. 1500. annos ita docuerit de Transsubstantiatione, sicut iam in Romana Ecclesia docetur. Clarissima huius rei testimonia dant iam dictus S. Cyrillus, S. Ambrosius, & alij qui ante 1200. annos floruerunt, & dogma hoc vt vetustum atque Apostolicum prædicarunt; quod sane ipsa verborum Christi; Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, veritas exigit. Sed Prædicans, vt videmus, antiquiores testes desiderat; quare non legisti, aut refutasti, quæ ex antiquioribus affert Cardinalis Bellarminus? Vnum, vt petis, accipe, S. Cyprianũ: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura* (substantia) MVTATVS *omnipotentiâ Verbi factus est caro.*

llar. lib. le SS. Eucrist. b. 20. pr. de cœ. Domi-

§. 71. *Audeant sistere vnicam personam, quæ ante 310. annos Romam Iubilæi ergo peregrinata sit.* Quid infers? esto Iubilæum Ecclesiasticum primum à Clemente IIX. anno 1600. institutum sit: penes Petri successores est determinare tempora, quibus spirituales indulgentiarum thesauri referantur. Sed enim falsum est, neminem ante 310. annos Romam venisse Indulgentiarum consequendi caussa anno centesimo, qui postea Iubi-

Iubilæus dictus est, à Clemente VI. ante quem Bonifacius IIX. annis ab hinc 310. plenariam indulgentiam, quam anno seculari consequi liceret, publice promulgauit, confirmans & redornans veterem morem, ex quo fideles ad obtinendas maiores quasdam indulgentias Romam confluebant, vt testatur ipse Bonifacius aliiq; eiusdem æui; Iacobus à Bonifacio IIX. factus Cardinalis, tituli S. Georgij, Ioannes Villanus illius seculi chronographus, Ioannes Monachus Cardinalis, qui idem ex ore Bonifacij se audiisse refert; Bonifacij vero de anno centesimo intelligenda verba sunt: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de vrbe, concessæ sint magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum.* Publicatis litteris Pontifex, editis scriptis Cardinales, in historia sua Villanus testãtur, annosa consuetudine Romam accessisse fideles, vt Indulgentias consequi mererentur; & hodie Prædicantes morem illum tum fuisse tam temere inficientur? illis melius constiterit, quid ante 300. annos in orbe gestum sit, quam iis qui non minimam rerum gestarum partem sustinuerunt; quos à mendacij suspicione vindicat, quod rem toto or-

Iacob. Cardinalis S. Georgij in libello de Indulg.
Ioan. Villanus lib. 8. Chronici cap. 36.
Ioan. Monachus in Extrauag. Antiquorum de pænit. & remiss.
Bonif. IIX in cit. Extrauag.

be notam referant, nec ab vllo vnquam de falso ſint inſimulati.

§. 72. Septimo, *Auſint nominare vnicam perſonam, quæ ante 1300. 1400. 1500. annos ita ad imagines & idola cucurrerint, coram iis genuflexerint, dona illis obtulerint, vt hoc tempore fit in Papatu.* Tu vnicum nomina, in veteri clarum Eccleſia, qui imagines ſacras vocarit idola; à turpiſsimis ſceleſtiſsimiſque hoc didiciſtis Iconomachis. Imagines ſacras iã à 1200. annis honoratas eſſe negare non audes; deſideras teſtimonia ex ſeculis, quando Chriſtiani anguſtiati, afflicti in cryptis ſacros conuentus agebant; rarior vtique tunc erat imaginum vſus, nec tam libera earum veneratio, quam cum pax Eccleſiis reddita eſt; cuius lucem veſpertiliones oderunt. Chriſtiani ſcilicet, qui nullis tyrannorum minis, nec exquiſitis tormentis adigi poterant, vt idolis ſacrificarent, mox nemine perſequente idola adorarunt, credant hoc idolis ſimiles ſtipites. Anathemata ante imagines ſuſpendũtur, ſed ſanctis, non imaginibus offeruntur, multo minus iis ſacrificamus, vt Germanica tua verba multi intelligent, ihnen geopffert / honoramus ipſos flexo poplite, aliiſque cultus ſymbolis ex Apoſtolica traditio-

ditione, vt tradũt sancti Patres, quam multis miraculis Deus confirmauit. Luculenter S. Damascenus: *Ex quo Christus in forma nostra ad nos accessit, Patres in terra ac Doctores quorum summa virtus fuit, venerandarum imaginum cultum nobis perspicue tradiderũt.* AEneam statuam Christo erexit ante 1500. vt exigis, annos, mulier, quam Dominus à sanguinis fluxu liberarat, quæ statua diuinitus protulit herbam, quocunq; morbo laborantibus salutarem, vt tradunt Eusebius, Sozomenus, Antipater Bostrenus, S. Damascenus, S. Gregorius II. &c. Hoc Prædicantibus commentum erit, vel certe exigent, vt credamus fideles instar stipitum sine vlla venerationis nota ad Christi imaginem accessisse, herbam recepisse. Sed nõ proposui singula exactius disputare, vt in promptu esset contra hæretici venena antidoton, studui.

Euseb. lib. 7. hist. c. 14. Sozom. lib. 5. cap. 10. Antipater relatus in 7. synoda act. 4. Greg. II. ep ad Germanum.

§. 73. Octauo; *Nominent vnicum Christianum, qui ante 1500. & 1600. annos Virginem Mariam, tanquam mediatricem & adiutricem inuocarit, coram eius imaginibus genuflexerit, vel ad illas peregrinatus sit.* Adhuc tutius nominasses anno 1700. nam virginem necdum notam nemo inuocauit; ante annos 1600. illa in terris versabatur, an negaueris eius o-

pem imploratam, cum Apostolus Romanos inuocet, & quidem vt adiutores? *Obsecro vos fratres, vt* ADIVVETIS *me in orationibus pro me ad Dominũ.* Vt mediatricem eiusdem cuius Christus est, dignitatis nemo Catholicus virginem aduocat, inferiori gradu mediator fuit, & ab Apostolo nominatur Moses. Optime S. Cyrillus Alexandrinus: *Multi sanctorum mediationis ministerio vsi sunt. & ipse Paulus clamat: Rogamus pro Christo reconciliamini Deo. Moses quoq; mediator fuit. mediator etiam fuit B. Ieremias, præcipue quando clamabat: Recordare mei stantis coram te, ad loquendum pro ipsis bona. quid multa? singuli prophetarum mediatores fuerunt, Apostolorum quoq; singuli.* piaculum erit matri tribuere, quod seruis tribuimus, imo tribuit ipsa scriptura? ab Apostolis inuocatam Virginem nemo prudens dubitarit, etsi in scripturis Canonicis non legatur; habetur tamen in liturgiis Petri & Iacobi Apostolorum; Apostolorum ætati perquam vicinus fuit S. Irenæus, qui Virginem prædicat ADVOCATAM. ante 1000. 1100. & plures annos testatissima est fidelium erga Virginem pietas, nec tibi ignota, vt apparet, qui appellas ad annos 1500. 1600. audies tamen, velis nolis, non Romani Pontificis, sed Orien-

Rom. 15.

Galat. 3.

Cyrill. Alex. lib. 12. thesau. cap. 10.

Iren lib. 5. cap. 19.

rientalium Ecclesiarum preces;nam Ioannes Patriarcha & synodus Hierosolymitana litteras ad Ioannem Patriarcham & synodum Constantinopolitanam annis abhinc 1092. datas sic finit: *Sanctam & glorificatam Virginem Dei genitricem Mariam vna nobiscum supplicate intercedere.* Sed accipe antiquiora; Virginis insignis cultor fuit sanctus Gregorius ob miraculorum ab eo patratorum magnitudinem, multitudinem Thaumaturgus cognominat", **qui velut insignis magnaq; lucerna in Ecclesia Dei resplenduit,* Origenis discipulus ante annos 1377. hic Virginem sic affatur: *Tua sane, ô sanctissima Virgo, laus omnem prorsus laudem, propter Deum ex te incarnatum, ac hominem natum, excedit. Tibi omnis creatura in cœlis ac terris, & apud inferos reuerētiam ac cultum conuenientē offert. Tu enim vere thronus euasisti Cherubicus. Tu in summis spiritalibus regnis lucis splendore coruscas: vbi glorificatur Pater omnis principij expers, cuius obumbrātem habuisti potentiam: adoratur filius, quem secundum carnem peperisti: celebratur Spiritus sanctus, qui in tuo vtero natiuitatem magni regis peregit. Per te, ô gratia plena, (κεχαριτωμένη) Trinitas sancta & consubstantialis in mundo cognoscitur. Tecum & nos* DIGNARE *participes efficere perfecta tua gratia in Christo Iesu Domino nostro.*

* *Basilius Magnus cap. 29. de Spiritu sancto.*

Greg. Neocæsariensis serm. 2. de annunciat.

Hæc

Basil. loco cit.

Hęc Gregorius, *qui*, vt testatur Magnus Basilius, *propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur spiritus, in omni virtute, signis ac prodigiis, ab ipsis etiam veritatis hostibus, alter Moses est appellatus*. Eidem clienti suo Virgo, quæ diligentes se diligit, apparuit, atq; ipsi totam noctem de fide, discussis hæreticorum argumentis, speculanti symbolum orthodoxæ fidei per Ioannem Apostolum edocuit; erat autem Virgo *excellentius atq; augustius, quam pro humana conditione spectaculum*: θέαμα κρεῖττον, ἢ κατ' ἄνθρωπον, scribit S. Gregorius Nyssenus, in vita ipsius. Procul hinc impia crisis, quæ huiusmodi tanta auctoritate conscripta, in somniis, næuis, aut idololatriis habet. De imaginibus beatissimæ Virginis, & peregrinationibus ad loca sacra, vbi quædam imagines miris signis illustres, vel ipsa antiquitate honorabiles asseruantur, satis pro instituti nostri breuitate dictum §. præcedenti, plurima alij.

§. 74. Nono; *Audeant vnum nominare doctorem Christianum, qui dicto tempore, atq; etiam aliquot post seculis, docuerit, vel scripserit laicis sacramentum tantum sub vna specie esse administrādum*. Nec nos id asserimus, seposita Ecclesiæ ordinatione, quam non semper fuisse prioribus seculis, quis negat? hoc dicimus,

Lai-

Laicos non teneri ex Diuino præcepto ad vtramq; ſpeciem ſumendam; quod ex ſcripturis & antiquiſsimo Eccleſiarum more ac praxi oſtendit Cardinalis Bellarminus, *ego breuiter alibi. Vnum nomino Ambroſium, cuius die hæc ſcribo, qui tam euidens de vſu vnius ſpeciei dat teſtimonium, vt Petrus Martyr abſurdorum gloſſematum excogitandi haud iners, deſperata cauſſa, de Ambroſio noſtro ſcribat: *Quemadmodum defendi poſsit, alij viderint.* Hic doctrina & ſanctitate celeberrimus Epiſcopus iam iam moriturus vnam ſpeciem tantum accepit ab Honorato Epiſcopo Vercellenſi, vt refert Paulinus. Idem de Baſilio Magno ſcribit S. Amphilochius. Si ergo Chriſtus nos extra ſacrificium non aſtrinxit ad vnam ſpeciem, cur Eccleſia legitimis inducta rationibus nequiuerit ſtatutum de vna tantum ſpecie ſumẽda condere? cuius ſtatuti æquitatem bene tuetur iam laudatus Cardinalis Bellarminus: in id conſenſit iam à 200. prope annis vniuerſus Chriſtianus orbis, cui poſthabere rabularum hoc æuo natorum latratus minime viri prudentis fuerit.

Bellarm. lib. 4. de SS. Euch. c. 24.
** dial. 4. de SS. Euch. & art. 18. cõtra Heilbronner.*
Petr. Martyr Zuuinglianus obiect. 88. contra Gardinerum.
Paulin. in vita Ambroſij.
Amphil. in vita Baſil. Magni.
Bellar. lib. cit. cap. 28.

§. 75. Decimo; *Audeant nobis nominare vnicum Chriſtianum purum doctorem, qui ante 1500.*

& 1600. annos docuerit, quod nullus Christianus doctor, qui verbi Diuini prædicandi, & sacramentum administrandi munere fungatur, possit in matrimonio viuere. Legis Apostolum: *Oportet Episcopum esse continentem;* id est, *ab vxoris etiam amplexibus,* vt S.Hieronymus exponit, & vniuersa semper tenuit Ecclesia, cuius testis est sanctorũ Patrum consensus: ex Oriente Occiduaque Ecclesia vnum produco, S.Epiphanius: *Reuera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui à nuptiis mortua ipsorum vxore, secundis nuptiis coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc* CERTO *sancta Dei Ecclesia cũ sinceritate obseruat. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit; sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit diaconum, & presbyterum, & Episcopum, & hypodiaconum, maxime vbi sinceri sunt canones Ecclesiastici.* S.Innocentius I. *Quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia* OMNINO *debet, vt sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coëant.* Et quis iste Innocentius? quem beatissimum Romanæ sedis Pontificem scribit S. Augustinus. Idem de illo alia in materia aduersus Iulianum: *Quid potuit vir ille S. Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum ceteris*

Ad Tit.1.

Epiph. hæresi 39.

Innocent. I. epist. 1.

S. August. c.8. de peccato originali.

Idem lib. 1. contra Iulian. cap. 2.

ceteris

veteris tenet, perseueranter Ecclesia? O deploratam Prædicantium maritorum caussam; Basilium Magnũ, S. Epiphanium, S. Chrysostomum, S. Ambrosium, S. Hieronymũ, & alia Ecclesiarum lumina, ante 1200. aut plures annos instar clarissimorum siderum lucentia in huius quæstionis arbitros refugiunt admittere, & prouocant ad annos 1500. & 1600. Siricium cœlibatus clericalis auctores statuunt; cuius testem Heilbronner laudat Polydorũ Virgilium; errorem manifestat S. Epiphanius, vt taceam alia, qui aduersus hæreses ante Siricij Pontificatum scripsit. & solus Siricius, ac cum eo in fide * cõmunicans orbis Christianus à quouis prudente centies mille Prædicantibus antehabebitur. Dicite nuptiatores, si Apostoli vxores habuerunt, atq; iis vsi post vocationẽ sunt; cur de nullius filio aut filia legitur? vnde hæc apædia primis Apostolis, quùm tot matres faciant noui Euangelici? De solo Petro constat quod vxoratus fuerit; quem coniugio nõ vsum post vocationem ad Apostolatum, certum; vsum prius, incertum est. S. Petronilla quæ ab aliquibus Petrum creditur, habuisse genitorem, nobili, forte Petroniorum, genere ortam, ac Petri spiritualem

* *Vide num. 60.*

lem solum filiam fuisse optime obseruauit Cardinalis Baronius.

Baron. to. 1. an. 69.

§. 76. Vndecimo, pergit Heilbronner; *Audeant nominare vnicum sacerdotem, qui ante 1400. imo 400. annos die Iouis post festum Trinitatis in Monstrancia sub vmbone per plateas tulerit, tali pompa, vt iam in Papatu fit.* Hic aliquanto liberalior es, prouocas ad annos 400. non tantum 1200. & plures, vt in superioribus; sed nihilo insulsior. Quis enim tam ferus & barbarus sit, vt funebres, nuptiales, conuiuiales pompas institui, & nouis inuentis adornari sine Dei offensa posse admittat, & cum Deo nouum festum, publica gratulatio instituitur, queratur, ringatur? & quam stolide singulas exquiris circumstantias? quid enim si absque vmbella, non illo die Iouis olim S S. Eucharistiæ celebritas fuisset acta? Si Christus visibili specie vrbem ingrederetur, an non liberum esset summa eum solennitate excipere? an Apostoli & populus Israël in die palmarum solliciti fuere, num ante simili pompa ille vel alius fuerit exceptus? Quā similes inuidis Pharisæis tum murmurantibus sunt hodie momi Euangelici?

§. 77. Duodecimo; *Audeant nominare vnicum sacerdotem vel Episcopum, qui ante 1600. 1500.*

1400.

1400. annos aquam, oleum, cereos, salem, &c. ita exorcisarit, & adiurarit, sicut iam in papatu fit. Perantiquæ sunt preces, quibus prædicta benedicuntur, nec oportuit vt verbatim à Christo & Apostolis præscriberentur, etsi ab eis institutum sit, vt res tales aliqua prece consecrarentur: nonnullorum benedictiones ab Ecclesia Apostolos secuta laudabiliter introduci poterant atque etiamnum hodie possunt. Nam vniuersalis est Apostoli doctrina: *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem.* Et qui panes benedixit Dominus, exemplum quæcunque benedicendi reliquit. Quam insulse memineris 1600. annorum, quando necdum fandata erat Christi Ecclesia, iam ante hoc te monui. De aqua benedicta Clemens Apostolorum discipulus; de aqua & sale Alexander I. ante annos prope 1490. scripsit: *Aquam sale conspersam populis benedicimus.* Aquæ oleique consecrationem ex traditione paris cum scriptura auctoritatis nos habere nihil dubitat S. Basilius. De benedictione cerei paschalis vetustus poëta:

1. Tim. 4.
Matth. 14.
Clemens lib. 8. constit. Apost. cap. 35.
Alex. I. epist. 1.
Basil. Mag. cap. 27. de Spiritu sancto.
Prudent. in Cathemerino, Hym. 5.

Tu lux vera oculis, lux quoq; sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod famulans offero, suscipe.
Tinctum pacifici chrismatis vnguine.

Res porro eiusmodi benedictas non magicas sed dæmoni, magis, sagisque inuisas esse vetustis, recentibus, plurimis, certissimis exemplis constat. Accipe vnum, non quidem ante 1600. sed ante 1300. circiter annos gestum, à S. Epiphanio conscriptū de Iosepho, qui ex Iudæo Christianus factus Constantino Magno percharus, ab eoq; Comitis dignitate ornatus fuit; *iussus insuper petere quid vellet. Iosephus autem nihil, præterquam vt maximum hoc beneficium à rege consequeretur, vt permitteretur ipsi per mandatum regium, quo Christo Ecclesias ædificaret in ciuitatibus ac vicis Iudæorum, vbi nunquam quisquam potuit Ecclesias exstruere. Incipit itaque in Tiberiade ædificare. Erat autem opus calce & alia materia. caminos itaq; extra vrbem multos facere iussit, forte septem numero. At vero Iudæi incantationibus ignem ligare aggressi sunt. Vbi autem hi, qui combustibilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet, siue sarmenta, nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significauerunt. Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Dominum correptus, extra ciuitatem currit, & vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ corā omnibus; (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce crucis signaculum proprio suo digito*

Epiph. hæres. 30.

gito

gito vasi impreßit, inuocato nomine Iesu sic dixit: In nomine Iesu Nazaræi, quē crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit: & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ vero præsentes clamore edito, vnus Deus qui auxiliatur Christianis, secesserunt.

§. 78. Similia multa inuenire est in veterum Patrum monumētis, qui ante 1000. 1100. 1200. annos floruerunt; tu minimū 1400. exigis; ab anno scilicet ducentesimo post Christum natum, omnes Episcopi & sacerdotes, clarissimi sanctissimique doctores in peponibus, & vappis erunt Heilbrunnero. Insulse Prædicans, te prouoco, vt vel vnum in Ecclesia illustrem virum exhibeas, qui docuerit Romanum Pontificem non esse Ecclesiæ primatem, & controuersiarū fidei Iudicē, qui Ecclesiasticas Indulgētias, opera supererogationis, Missæ sacrificium, Transubstantiationis mysterium, tremēdi Sacramenti festum, eiusdem sub vna specie vsum, Deiparæ Virginis, sacrarum imaginum cultum, olei alia-

rumque rerum eulogias reprobarit. Non te restringo ad vnum, vel alterum à nato Domino seculum; vniuersam Christianæ Ecclesiæ ætatem tibi propono. Sed citius ex pumice laticem, quam ex te responsum expunxero.

§. 79. Stat autem inuicta Catholica Ecclesia, quæ à Diuinis scripturis, Apostolicis traditionibus nec latum vnguem digressa, in Deo institutis festis & ritibus colendo iure suo vsa, immota veritatis columna est. Finio ipsius Lutheri verbis, qui de visibilis Ecclesiæ auctoritate, anno 1532. hæc ad Albertum Borussię ducem scripsit: *Testimonium totius sanctæ Christianæ Ecclesiæ (etiamsi aliud nihil haberemus) solum nobis sufficere deberet, vt huic articulo* (de præsentia corporis & sanguinis Christi in Sacramento, de qua Albertus Lutheri sententiam exquisierat) *insisteremus, nec vllius sectæ spiritum audiremus, & toleraremus. Nam periculosum &* HORRENDVM *est, quidpiam audire vel credere, aduersus vnanime testimonium, fidem, & doctrinam vniuersæ sanctæ Christianæ Ecclesiæ, quod illa ab initio supra sesquimille annos vnanimiter seruauit. Si esset nouum dogma, & non à principio sanctæ Christianæ Ecclesiæ, nec ab omnibus Ecclesiis, nec à tota Christianitate, toto orbe, tanto consensu*

Luther. ep. ad Albertum Brandeburgicũ, ducem Borussiæ, impressa VViteberga, anno 1532. *& post Norimberga,* 1561.

consensu

sensu esset seruatum, non tam periculosum & horrendum esset de eo dubitare vel disputare, an verum sit. Attamen hoc à principio, & quo se Christianitas extendit, seruatum est vnanimiter, qui ergo dubitat, idem facit, ac qui nullam credit Ecclesiam Christianam, & insimul damnat non solum vniuersam sanctam Christianam Ecclesiam, tanquam damnatam hæreticam, sed ipsum Christum cum omnibus Apostolis & Prophetis, qui hunc articulum, quo profitemur (Credo sanctam Christianam Ecclesiam) fundarunt, & valide testati sunt. nempe Christus Matthæi vltimo: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi. Et S. Paulus * *2. ad Timoth. cap. 2. Ecclesia Dei est columna & firmamentum veritatis.* Hæc ille contra Caluinistas Christi præsentiam in Sacramento abnegantes; & cõtra se ipse; dum Romanæ sedis primatũ, Missæ sacrificium, cœlitum inuocationem, sacrarum iconũ venerationem, &c. impugnat; quæ vniuersa semper tenuit Ecclesia Dei, semperque tenebit super petram fundata COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS.

* 1. Tim. 3.

PVRGATORIVM LVTHERANVM.

CAPVT PRIMVM.

Prima Lutheri de Purgatorio ſententia.

PARAG. I. Orthodoxe aliquãdo ſenſiſſe Lutherum de Purgatorio, facile nobis perſuademus, quandoquidem ſe olim Romanæ ſedi quam firmiſsime adhæſiſſe gloriatur. Sed nos non agimus de Luthero Catholico; quæ eius de Purgatorio ſententia fuerit, poſtquam aduerſus Eccleſiam arietare cœpit, inquirimus, anno 1517. quo ipſo proprium ſibi Purgatorium formauit, in Eccleſiis inauditum. Eſſe aliquod Purgatorium nihil dubitabat anno 1517. & nonnullis poſterioribus. *Mihi* CERTISSI-

TISSIMVM *est*, scribit anno 1518. *Purgatorium esse. Nec multum me mouet, quid blaterent hæretici, quando iam mille & plus centum anni sunt, quod B. Augustinus in suarum Confeßionum IX. pro matre, patre suo orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater eius, moriens (vt ibi scribit) memoriam sui optauerit ad altare Domini: sed & à B. Ambrosio id factũ narrat. Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, vt superbit fastidiosus Pighardus, numquid ideo credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum?* Igne animas purgari negare noluit; *Nihil de igne & loco purgatorij loquor, non quod ea negem, sed quod est alia illa disputatio, nec à me nunc instituta.*

Luther. in resolut. de Indulgentiis, to. I. VViteberg. pag. 112.

Luth. ibi.

§. 2. Attamen præter flammam purgantem, & pœnam dilatæ beatitudinis, quam Catholici agnoscimus, aliam illam sibi pœnam figulauit, & ex ea non vnum errorem progenuit. Anno 1517. disputationem VVitebergæ proposuit, quam etiam absentibus communicari petiit: in ea hæc de Purgatorio: *Imperfecta charitas, seu charitas morituri necessario secum fert magnum timorem, tantoq; maiorem, quanto minor fuerit ipsa. Hic timor, & horror, satis est se solo, vt alia taceam, facere pœnam purgatorij, cum sit proximus desperationis*

Luth. to. I VVit. pag. 51.

nis horrori. Videtur infernus, purgatorium, cœlum differre: sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt. Necessarium videtur animabus in purgatorio, sicut minui horrorem, ita augeri charitatem. Nec probatũ videtur vllis aut rationibus, aut scripturis, quod sint extra statum meriti, seu augendæ charitatis. Nec hoc probatum videtur, quod sint de sua beatitudine certæ, saltem omnes, licet nos certissimi simus.

§. 3. Habemus Lutheri Purgatorium quatuor erroribus constructum. Primus est, imperfectam charitatem importare horrorem desperationi proximum: hunc ex scriptura probat: *1. Ioan. 4. Timor non est in charitate, perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet. Igitur si perfecta charitas foras mittit timorem, necessarium est, vt imperfecta timorem non mittat foras.* Ita est, non omnẽ timorem pellit charitas imperfecta, sed subinde admittit etiam seruilem, quo odimus malũ formidine pœnæ: à desperatione, vel desperationis æmulo motu pleriq; liberi sunt, qui charitatem etiam imperfectam habent, vt de hominibus in hac vita versantibus agnoscit etiam Lutherus.

[Margin: ...uth. to. 1. Vit. pag. 2.]

§. 4. Alter error est, horrorem desperationis esse pœnam, eamque grauissimam animarum in Purgatorio detentarum. *Probo.*

bo, inquit Lutherus, *eum horrorem esse pœnam purgatorij vel maximam. Omnes concedunt easdem esse pœnas purgatorij & inferni, nisi quod differunt æternitate: at scriptura describit pœnas inferni esse turbationem, pauorem, horrorem, &c.* Hinc infert similibus motibus concuti animas Purgatorij. Atqui plures animas purgandas non minores pœnas sustinere, quam sustineant aliquæ ex damnatis credibile est, si sermo sit de pœnis sensibilibus: nam vtrasque pares esse in spiritualibus pœnis, vtrasque æque acri conscientiæ verme rodi, salutis desperatione vtrasque excarnificari, nemo orthodoxus concesserit. Lutherus quoq; aliam damnatorum, aliam animarum in Purgatorio agnouit esse desperationem; etsi vtrosque vere desperare de salute æterna consequenda senserit. nam quod in disputatione citata §. 2. Purgatorij vocat prope desperationẽ, particula, prope, excludit solũ desperationis æternitatẽ, vt ipse exponit in resolutionibus de Indulgentiis: *Addidi prope desperationem dicens, quia tandem cessat illa desperatio. Alioqui reuera, dum est in illo* (Purgatorio) *anima non sentit,* NISI *desperationem.* Idem mox videtur reuocare, dum subdit: *Non quod desperet, sed quod in tanta est perturbatione & confusio-*

Luth. pag. cit.

Luth. pag. 113.

Ioan.9. tuus Ecclesiæ sensus fuit.& illud: *Venit nox, in qua nemo potest operari,* vnanimiter S S. Patres exponunt neminem in altera vita, quę nox dicitur, posse operari meritorie. idem

Bellar.lib. de Purgator.c.2. ex scripturis probat Cardinalis Bellarminus. Sed & cum animæ secundum Lutheri sententiam *sine intermißione* peccent,& quidem grauiter, quandonam augebitur in eis charitas? in fine purgationis, tum enim emergent ex desperationis barathro, & Deum perfecte diligere incipient. hanc Lutheri mentem collige ex his eius verbis:

Luth.tom. Vit.pag. 15. *Ego libere confiteor me credere, nullam animam redimi de pœnis Purgatorij propter suum timorem, donec posito timore, incipiat amare voluntatem Dei in tali pœna, & plus Dei voluntatem amet, quam pœnam timeat, imo solam Dei voluntatem diligat, pœnam vero vili pendat, aut in voluntate Dei etiam amet.*

§. 7. Quartus error est, animas esse incertas salutis æternæ. Quasi vero tardet iudex,& nō continuo à morte hominis ferat sententiam, aut sententiam latam animam

Eccles.11. celet. *In fine hominis denudatio operum illius,* inquit Ecclesiasticus; cui denudabuntur? an Deo? cui nunquam tecta erant. an aliis,& non ipsi, qui operatus est? quis hoc credat? scimus, nec animæ nostræ è corpore egres-

sæ

ſæ obliuiſcentur, æternũ damnandos mox à morte ad gehennam detrudi: ergo hoc ipſo, quod animæ Purgatorij intelligunt, ſe non eſſe perpetuis ignibus addictas, pleniſsimæ ſpe erunt, ſe minime à cœlorum regno excluſas, ſed quaſi per ignem probandas eſſe. *Damnati*, ait Lutherus, *ſtatim huic malo* (deſperationi) *addunt blaſphemiam: illi vero* (purgandi) *ſolam querelam & gemitum inenarrabilem, ſuſtentati à ſpiritu.* Ergo hoc ipſo, quod animæ purgandæ horrent blaſphemias, certæ fuerint ſe non eſſe in damnatorum numero. Hæc de primo Lutheri à fide apoſtatæ Purgatorio, cuius recenſitos errores perſæpe primis annis tutatus eſt in aſteriſcis aduerſus obeliſcos Eckij, in reſolutionibus de Indulgentiis, in reſponſione ad dialogum Silueſtri, in notis ad epitomen reſponſionis Silueſtri, in diſputatione Lipſica, in reſolutionibus pro eadem diſputatione, in aſſertione articulorum à Leone X. damnatorum.

Luth. t. 1. VVit. pag. 116.

§. 8. Nec locum hic habet excuſatio, quam ſuis antilogiis prætendit Lutherus: *Inuenies in iſtis meis ſcriptis prioribus, quam multa & magna humillime conceſſerim Papæ, quæ poſterioribus & iſtis temporibus pro ſumma blaſphemia & abominatione habeo & execror.* Lutheri ſiqui-

Luth. præfat. in tomũ primũ

ſiquidem doctrina à Catholico de Purgatorio dogmate quam alieniſsima, propria Lutheri adinuentio eſt. Quare eneruis quoque eſt defenſio Nicolai Amſdorffij, qui de Luthero ſuo ſcribit: *In prioribus ſcriptis tanquam bonus, fidelis & verus Papiſta multa irreprehenſa reliquit.* Anno 1520. in aſſertionibus articulorum per Leonem X. damnatorum, Lutherus Pontificem appellat *Tyrannum Romanum, Antichriſtū, hæreticum, ſchiſmaticum, idolum Romanum.* & tamen, nihil vtiq; in gratiam Pontificis admittens, perſiſtit in doctrina ſua de Purgatorio. *Ego,* proteſtatur, *& credo Purgatorium eſſe, & conſulo ſuadeoq; credendum, ſed neminem volo cogi.* Repetit, quos enumerauimus errores art. 4. 38.39. quibus erroribus addendus eſt, qui art. 40. aſſeritur: *Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viuentium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.* Non hoc Romanæ Eccleſiæ, ſed ex apoſtatæ ſincipite procuſum dogma eſt.

[A]mſdorff. [i]n præfat. [s]erm in [p]rimum [t]omū Lu[th]eri.

[L]uth. in aſ[s]ert. art. 16.

[I]dem art. [...]r.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Altera Lutheri de animabus Purgatorij sententia.

PARAG. 9. Anno 1522. Lutherus iam plene illuminatus, omnino à Papa & Romana Ecclesia se separauerat, vt Nicolaus Amsdorffius sentit, hoc, inquam, anno, Lutherus ad eundem Amsdorffium scripsit: *Mea autem sententia de Purgatorio sic habet, non quod certum locum arbitror, vt Sophistæ fingunt, aut omnes qui extra cœlum & infernum manent, in purgatorio esse arbitror. Quis enim hoc asseret? Cum dormire possint inter cœlum, terram, infernum, purgatorium & omnia, sicut viuentibus contingit in profundo somno. Sed quod eam pœnam esse sentiam, quam gustam inferni dicũt, qua Christus, Moses, Abraham, Daniel, Iacob, Iob, Ezechias, & multi alij laborare. Ea enim cum sit similis inferno, tamen temporalis, siue extra corpus, siue in corpore fiat, Purgatorium mihi est: nam talem pœnam tribuimus Purgatorio. Cum autem in corpore asseratur, & certa sit, extra corpus quoque negari non potest, quanquam nec demonstrari.*

Amsdorff lot. cit. Luth. to. 2 ep. Eisleb. 1565. pag. 4

§. 10. Numeremus errores. Primo negat certum esse Purgatorij locum; aduersus

ſus receptiſsimam in omnibus vbique terrarum Eccleſiis ſententiam. nō abnuimus aliquas interim animas in variis locis ſuper terram purgari; communis tamen ſeu ordinarius locus eſt ſubterraneus, vt agnouit etiam S. Auguſtinus, & Eccleſia orat: *Libera animus defunctorum de pœnis inferni & deprofundo lacu.* Alter error nominari poſſet, quod non agnoſcat animas igne purgari; quandoquidem ſuam de Purgatorio ſententiam explicare pollicitus, nec verbo meminit ignis, & de phantaſtica ſua pœna tanquam poteſtatem habens ſtatuit: *Talem pœnam tribuimus purgatorio.* Verum, quia non aperte pœnam ignis negauit, relinquamus, & manifeſte aſſerta examinemus.

Aug. lib. 12. de Geneſi, cap. 33.

§. II. Secundo ergo mirum paradoxum eſt, Abraham, Moſen, Dauid, Chriſtum ipſum fuiſſe in Purgatorio: ſub quo paradoxo grauiſsima conditur blaſphemia. Nam cum Lutherus ſenſerit pœnam purgatorij eſſe deſperationem de ſalute æterna, vt vidimus præcedente capite, nec ſententiam illam reuocarit aut mutarit, ſequitur Chriſtum Dominum deſperationis turbine iactatum eſſe. Non contrahit frontem Lutherus, annuit impius. de Da-

uide

uide aliisque sanctis id tradiderat antea, in resolutionibus de Indulgentiis. non minus apertè de Christo loquitur; expendens enim Psalmi verba: *Tu autem in sancto habitas, laus Israël,* quia Dominus cuius personæ hæc recte tribuuntur, non dixit; laus mea, sed, laus Israël, commentatur apostata: *Cum hic laudes alienas alleget, & suam taceat, indicat quam prope &* SIMILIS *sit damnatis maledicentibus, atque idipsum quoque auget querelam & dolorem, quod Israël toties saluatus laudarit Dominum; ipse vero penitus derelictus in* PERICVLVM *venerit non laudandi, sed maledicendi.* Et: *Videtur in semetipso abhorrere tentationem blasphemiæ, quæ pene eruptura videbatur, velut inter laudem & blasphemiam fluctuans & obmutescens.* Refugit calamus tãtas in Christum blasphemias.

Luth. in Ps. 22. alias 21. to. 3. VVit. anno 1583. pag. 333.

Idem to. 3. VVit. anno 1549. pag. 373.

§. 12. Quartus error & mirificum paradoxum, aliquas animas dormire. *Cum dormire possint*, ait; & de facto plures dormire animas iustorum ac damnatorum aperte tradit in eadem, quam §. 9. citaui, epistola. Si damnati dormiunt multi, multæ animæ sanctorum dormiunt; quare nulla purgandarum hoc somno occuparetur? Sed audiamus Lutherum: *Procliue mihi est concedere tecum in eam sentẽtiam, Iustorum animas dormire,*

Luth. to. 2. epist. pag. 44. 45.

mire, ac vsq; ad iudicij diem nescire vbi sint. In quā sententiam me trahit verbum scripturæ: Dormiunt cum patribus suis. Et mortui resuscitati per Christum & Apostolos idem testantur, cum velut è somno euigilarunt, ignari vbi fuerint. accedunt huc & ecstases sanctorum multorum. Sed an vniuersale hoc sit omnibus animabus non audeo dicere. Idem de damnatis sentio, posse aliquas sentire pœnas statim à morte, aliquas vero separari vsque in illum diem. Nam Epulo cruciatum confitetur. Et Psalmus dicit: Virum iniustum mala capient in interitu, nisi & tu hoc trahas ad diem iudicij, vel ad trāseuntes mortis corporalis angustias. Igitur mea sententia est incerta hæc esse. Verisimile autem, exceptis paucis, omnes dormire insensibiles. Alibi absolute mortuos dormire tradit, atq; ex Ecclesiaste confirmat. Verba scripturæ sunt: *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem.* Sensus est: Mortui naturaliter non nouerunt, quid circa bona temporalia, quæ reliquerūt, fiat, nec per ea amplius bene operari possunt; nec quicquam posthac mereri. Quid Lutherus? *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire, vt prorsus nihil sciant. Et plane credo non esse in scriptura locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligētibus rerum nostrarum, cōtra Sanctorum inuocationem, & Purgatorij fictionem.* Et paulò pòst: *Describit*

[margin: ccles. 9.]

[margin: uth. to. 4. Vit. anno 74. pag. 5.]

scribit (Salomon) *mortuos, vt insensata cadauera.* Hæc ille anno 1535. quando iam satur Diuino lumine erat, si Lutheranis credimus. Idem in commentariis super Genesin, quorũ tomus primus anno 1544. prodiit: *An animæ impiorum torqueantur statim post obitum, non possum adfirmare. Quanquam exemplum diuitis epulonis huc facit. Sed contrarius locus est 2. Pet. 2. de malis Angelis* (num & Angeli dormiunt?) *qui seruantur ad iudicium; & verba Pauli 2. Corinth. 5. Omnes enim nos manifestari oportet, &c.* Et: *Magnum discrimen est inter sanctos dormientes & Christum regnantem: illi dormiunt, & nesciunt quid agatur, & tamen quiescunt: Impij vero quando moriuntur, siue olim ante Christi aduentum decesserint, siue hodie post exhibitum Christum simpliciter vadunt ad damnationem. An vero statim incipiat damnatio eorum post mortem, nescimus; quia scriptum est, sistendos esse omnes ad tribunal iudicis, & Ioan. 5. prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* En sanctos dormire non dubitat; hæret de damnatis; sed in eam partem, quod gehennæ pœnas ante iudicij extremam diem non sentiant, nimium propendet, scripturis improbe vsus. Quam mercedem dabimus his hominibus? paratos purgãdis anima-

Luth. in f[ine] tom. 2. [in] Genesin.

bus ignes exſtinguunt; & inferni ſempiternique carceris portas vſque ad mundi finem obſerant. iuxta illud Iobi: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendũt.* ſcilicet, vt ibi ſtertant & dormiant. At epulo vel vnius guttæ ſitiens exclamat: *Crucior in hac flamma.* accipe Lutheri gloſſema: *Opinor in iſto diuite oſtenſum eſſe, quid omnibus infidelibus futurum ſit; cum eorum oculi in morte, vel mortis articulo aperientur, quod in momento fieri poteſt, & dein ceſſare vſque ad extremum diem, vt Deo placuerit: certa enim regula ex hoc loco ſtatui nequit. Quare non audeo dicere, epulonem eadem hodie pati, etc.* Somnia in inferno ſomniabit.

b 21.

[L]uca 16.
[L]uth. in [po]ſtilla Ec[cl]eſ. Dom. [p]oſt Tri[ni]t. edita [V]it. anno [15]19.

§. 13. Damnatis hic ſomnus optabilis fuerit; iuſtis pœna & purgatorium quoddam erit: profecto ex purgatorij pœnis grauiſsima eſt dilata æternæ beatitudinis fruitio; ad quam ſuſpirans exclamat Apoſtolus: *Diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius.* & ſanctorum animæ ad finem vſque mundi, neſcio quo letargo, opprimantur? *Vigilatio, ſenſus, intellectio maxime delectabile eſt;* agnouit etiam philoſophus; ſomnus vero horum priuatio eſt mortis ſimillima imago: præſertim in animabus à corpore ſecretis, quę natura ſua ad perpetuo operandum feruntur, adeoque violenta ipſis eſt

[Ph]ilip. 1.

[Ari]ſtot. 12. [Me]t. tex.

talis

talis ἀεργία & obſoporatio; atque à Deo alieniſsima, qui nunquam noſcitur naturæ proprietatibus vim intuliſſe. Quanto conſenſu docent veteres Patres Chriſtum animis iuſtorum diu exſpectatam beatitatem contuliſſe? quis de animarũ ſomno ſomniauit? nec tam abſurdum eſt ſomnium, pro quo tuendo deſit ſcriptura hæretico: *Dormierunt cum patribus ſuis*, id eſt, mortui ſunt ſicut patres eorum; ſexcenties mors per ſomnũ ſignificatur in ſcripturis: quid hæc ad fabulam de ſomno animarũ? nullibi ſcriptum eſt, animas dormire cum patribus ſuis; ſed homines, qui cum per mortem quieſcant à vitæ huius laboribus, obdormire dicuntur. *Obdormiuit in Domino*, legimus de B. Stephano; quis ferat Lutherũ hypophetam: ſpiritus S. Stephani dormire cœpit? dormit ſcilicet, per cuius interceſſioné maxima, innumera patrata eſſe miracula, ex vetuſtis Patribus teſtatiſsimũ eſt.

Act. 7.

CAPVT TERTIVM.

De tertio Lutheri Purgatorio.

PARAG. 14. Tandem Lutherus Purgatorium, prout à Catholicis

cis asseritur negare omnino, detestari cœpit. Iam anno 1521. de abroganda Missa priuata scribens, *Tutius*, ait, *fuerit totum Purgatorium negare, quam Gregorio in Dialogis credere*. necdum tamen id credentes erroris damnat, quin ipse, quæ apostatæ fuit inconstantia, anno 1522. illud asseruit in epistola, de qua priori capite. Furiose in articulis ad Concilium Mantuanum: *Purgatorium cũ omni decore, cultu, & ceremoniis pro mera diabolica fascinatione reputandum est. Nam aduersatur præcipuis fidei articulis, quod solus Christus ille sit, qui animabus auxilio venire possit.*

uth. to. 2. Vit. anno 62. pag. 9.

§. 15. Verum cum Lutherus eiusque asseclæ pertinaciter asseuerent ipsum originale peccatum in hac vita non tolli, sed tegi; post hanc vitam purgatione opus fuerit. neque enim ipsi morti hanc virtutem trãscripserint, vt maculam eluat, quam nec fides, nec vlla pia opera, nec sacramenta abolere poterant. Porro peccatum in hac vita non tolli docuit Lutherus in assertionibus articulorum per Leonem X. damnatorum, & passim, tenentque omnes Lutheristæ: *In puero*, scribit ille, *post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christũ simul conculcare. Fauor Dei nos suscipit & sustinet non imputans ad mortem, quod reliquum est peccati*

uth. to. 2. Vit. anno 62. pag. 7. & 99.

cati in nobis, licet vere peccatum sit, imputari possit, donec efficiamur perfecte noua creatura, ad finem enim purgationis Patris misericordia respicit, propter quem inter medias peccati immūditias statuit misericorditer ignoscere, donec penitus aboleantur. In altera videlicet vita, vt ipse tradit: *Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam, ab ingressu cœli. Si enim vera sunt, quæ proximo articulo dicta sunt, fomitem esse vere peccatum, per gratiam Dei magis ac magis purgādum, & nemo possit cum peccato cœlum intrare, puto satis probam consequētiam duci; Animam fomite impediri ab ingressu cœli.* Consequentia probissima. quod immūdum est, emaculari debet ante cœli ingressum. Sed num statim anima purgatur, quam primum à corpore separatur, vel, vt significat Lutherus, mora interiicitur? Ecquæ purgationis media? sine mediis, sola Dei voluntate & gratia illam fieri innuit Lutherus, nec dissenserint eius discipuli. Et hæc de Lutherana animæ purgatione.

Pag. 100.

§. 16. Nunc videndum quomodo cadauer purgetur ab originali labe, quæ secundum Lutheranos peruadit & deuastat totam hominis substantiam, animam & corpus, & nec ab hoc, nec ab illa tollitur ipsa morte. quando igitur & quomodo cada-

uer absoluitur à peccato? quum in cineres resoluitur. Ita Lutherus & Lutherani: *Ideo corpus mori & incinerari oportet, vt peccatum expurgetur. verus est morbus & serius, qui tam potentem & seriam exigit medicinam.* Hæc Lutherus in assertionibus suorũ articulorum. idem verbose, vt solet, astruit & propugnat Lutheranus Hunnius: *Peccatum originis ita vniuersim peruasit substantiam hominis, vt non nisi per destructionem, corrupta, & in puluerem redacta carne, penitus exstirpari poßit. Ideo per mortem quidem aboletur vetus Adam, quatenus peccatum ad vitiosas operationes proferendas penitus exspirauit. Nam quia est accidens, & per se non ἐνεργητικόν τι, idcirco recedente anima, in corpore iam emortuo prorsus amplius vim suam non exercet. Interim altißimis radicibus in natura sic infixum est, vt hoc naturale corpus (quod erat instrumentum peccati) per physicam corruptionē destrui, & quasi in puluerem redigi oporteat, quò radix peccati omni modo exterminetur. Atque hæc etiam est causa, cur illa Physica corruptio adhuc dominetur in defunctorũ fidelium corpora, quæ alias, si omni prorsus modo, ratione, & respectu ipsa peccati Radix ab iis reuulsa, & perfectè exstirpata esset, nō certè corruptio ea vllum amplius haberet in ea ius. Hoc quod dicimus, eorum etiam exemplo manifestum est, qui per miracula resuscitati ex mortuis legũtur ab Helia*

[Margin: ...th. loco ...pag. 99.]

[Margin: ...gidius ...nnius ...ap. 6. ep. ...Rom. ...te 1.]

lia, Heliſæo, Chriſto, &c. Qui poſtquam reuixerūt, cùm illud ipſum corpus naturale emortuum quidem verè, nondum autem in terram verſum, aut immutatum reciperent (cuius antea temperamentum veneno peccati planè deprauatum, peccatique organum fuerat) certè mori eos denuò, propter peccati nimirum reliquias neceſſe fuit. Sic filius Sunamitidis reſuſcitatus per Eliſæum, multos poſtea annos in mortalium contubernio verſatus eſt, edit, bibit, creuit temporis progreſſu ad iuſtam adulti hominis ſtaturam, peregrinatus eſt cum matre ſua per integri ſeptennij ſpatium in regione Philiſtinorum; poſt rediit in terram Iſraël, tandemque mortuus eſt. Si autem corpus ipſius per priorem illam mortem fuiſſet à peccato abſolutæ, omnique modo conſummata perfectione perpurgatum: certè non altera vice fuiſſet ei moriendum: cùm morti (quæ peccati effectus eſt) locus eſſe haud queat, vbi cauſa mortis, nempe peccatum ipſum funditus ſublatum, & exterminatum eſt.

2. Reg. 8.

§. 17. Quo dementiæ progreditur hæreſis? Cadauer profectò peccati non minus capax eſt, quam lapis, æs, ferrum. & tanti delirij fundamentum æquè delirum eſt, effectum nō poſſe perſiſtere ceſſante cauſſa. Eiicitur adulter in exilium; num continuatur adulterium in multos annos, in quos protenditur exilium, quia adulterij

 pœna

pœna & effectus est exilium? morbũ contrahit ebrius; an is tamdiu debebit esse ebrius, quamdiu fuerit ægrotus, vna, pluribus hebdomadibus? quid tam notũ, tam contritum, quam effectum frequentissime superesse caussæ suæ; à qua pendebat in Fieri, vt dicitur, non autem pendet in Esse permanenti. & filij parentum effecta sunt, an pereunte parente, pereundum est & liberis? Mortem incurrimus ex peccato; sublato peccato non ideo tollitur mortis debitum: quemadmodum nec restituendi obligatio cessat, dimissa furti culpa, ex quo illa enata est. Hæc palpari possunt, & quam stupidos (excæcat vere hæresis) esse oportet, qui in his oberrant.

CAPVT QVARTVM.

De Purgatorio, quod ex doctrina Lutheranorum, de ortu animarum deducitur.

Parag. 18. Disputat S. Augustinus pluribus aduersus eum, qui mallet non esse, quam miser esse. *Vide,* inquit, *quam absurde atque inconuenienter dicatur: Mallem nõ esse, quam miser esse. Qui enim dicit:*

[margin: ..g. lib. 3. lib. ar... cap. 8.]

dicit: mallem hoc, quam illud, eligit aliquid: non esse autem non est aliquid; & ideo nullo pacto potes recte eligere. Considerat S. Doctor, Non esse, vt est mera negatio, aut potius priuatio, quomodo præcipuum naturæ cuiusque malum, nec vllatenus appetibile est. Omnia deamant suum Esse, & refugiunt Non esse; nisi id rationem boni induat, quia est liberatio à graui miseria. absolute tamen malum, grauissimum malum est Non esse. In hoc terrificum purgatorium, quod non solum contractas maculas, sed totam substantiam deuorat, animas detrudit Lutherus cum suis asseclis. quid ita? eam animarum tradunt originem, ex qua sapienter concludas mortales esse animas. Omnes creaturę sub cælo clamant corruptibile esse, quicquid natura sua generabile est; at secundum Lutherum & Lutheristas anima per traducem à parentum animabus gignitur, sicut caro ex carne propagatur: ergo tam anima, quam caro erunt mortalia. Quando hæc Lutherus? annno 1545. qui vitæ fuit penultimus, quando iam Diuinarum reuelationum abundantiam vix capiebat. *Qui cogitauerunt animam ex traduce esse, videntur non penitus aliena à scripturis sensisse. Imo facilius defendunt propagationem origina-*

Luth. to. VVit. an. 1562. pa. 500. &

lis

lis peccati. Constat prolem lege communi non solum faciem, sed & mores & ingenium parentum referre. Vt nihil sit, quod dicitur: Anima intellectiua creando infunditur, & infundẽdo creatur. Quis hoc probauit, aut quis prohibebit simile posse dici de omni alia anima? Eandem de animæ origine sententiam laudant Iacobus Herbrandus, Matthias Hafenrefferus Professor Tubinganus, & communiter Lutherani. Ita docere Prædicantes Rauenspurgenses retulit mihi R. D. Ioannes Albertus, Catholicus Rauenspurgæ parochus, vir doctus, & insignis in religionem zeli; tam crassam Prædicantium inscitiam non immerito demiratus.

§.19. Quam crassus est magistellus VVitebergensis, Ernestus Zephyrius, qui Catholicam de animarum origine doctrinã, vt Caluinistarum ac Iesuitarum propriam infamat, ex eaque necessario deduci paratragœdiat, Deum esse peccati auctorem. Iesuita ergo, aut Caluinista fuerint huic homini, vix credas quam stolido, S. Cyprianus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, aliique vetusti Patres. An nouella sit totâ pasim Ecclesiâ, iam 1200. ante annis recepta fides? Sed eam mox assumptis ferreis * Sedeciæ cornibus ventilare aggre-

[margin: ...ephyrius ...speculo ...iustico, ...ct. 11 ...ypr. serm. ... resur... ...ct. Hilar. ...b. 10. de ...rin. Amb. ...p. 4. de ...oẽ. Chrys. ...m. 23. in ...ria loca ...atth. ... Reg. 22.]

aggreditur pseudodidascalus: *Vel anima erit libera à peccato originali; & iniuste Deus sine caussa damnabit animas nō renatorum: vel si dicatur, animam ex coniunctione cum corpore coinquinari, Deus, qui auctor est illius coniunctionis, erit caussa efficiens peccati originalis. En, Iesuita, cornu ferit hoc dilemma, caueto: quicquid elegeris, constrictus eris.* Iô triumphe. de hoc insuper gloriabere te primum esse, qui adinueneris ex animarum creatione consequi Deum peccare. Constat enim 1200. abhinc annis de ortu animæ disceptatum esse, cui sanctitate, eruditione clarissimorum Patrum in mētem venit talis tamque euidens consequētia? quid? an non dilemma hoc est ex ipsissimo Augustino? Illudit lectori Prædicans imperite ac mendaciter scribens: *Dicit autem D. Augustinus, ac si,* (forte, sic) *docet: Hieronymi sententiam de noua creatione animarum libenter amplecterer: sed videtur ita valde difficulter defendi posse peccatum originale. Vel enim anima, &c.* sequitur dilemma. Dic vbi hæc Augustinus? nouimus eum hæsisse, quomodo originale anima contrahat, si à Deo creetur; sed ex creatione necessario cōsequi, Deum iniustum, aut peccati auctorem, nec scripsit, nec sensit S. Pater; alioqui nunquam illam sententiam tanquam probabilem habuis-

habuisset, qualem * sæpius tradidit: quin ex ea non posse inferri Deum esse peccati auctorem aperte docet: * *Si vna anima facta est; ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere se non peccasse, cum primus ille peccauit? Si autem singillatim fiunt in vnoquoque nascentium: non est peruersum, imo* Convenientissimvm *& ordinatißimum apparet, &c.* Nihil ergo sibi sumit Augustinus de inuento nouo fidei dogmate, quod animæ propagentur ex traduce; id quidem Lutherus aliiq; eum secuti docuerunt tanquam verosimile, aut verosimilius; sed non legi, qui aperte Diuina fide credendum traderet, qua tamen credi debet, si non elumbe Prædicantis dilemma est.

* *Aug. ep. 23. alias libro de orig. anima, cap. 6. lib. 3. de libero arbit. cap. 21. lib. 1. de anima, & eius orig. cap. 15.*
* *lib. 3. de lib. arbit. cap. 20.*

§. 20. Huius nunc cornua retundamus. primum petit eos, qui negant animas maculari labe originali: obtusum & imbelle cornu aduersus Catholicos, qui vel maxime in anima peccatum originale residere vnanimiter sentiunt. Alterum cornu nescio quos in Vtopia ferit; aduersus nos multimodis infirmum est: *Si dicatur, animã ex coniunctione cum corpore coinquinari, Deus qui auctor est illius coniunctionis, erit caussa efficiens peccati originalis. En cornu.* miserabile. non tenent Catholici coniũctionem animæ cum

cor-

corpore esse peccati caussam, quam vocula, Ex, designat. Et Christi Domini anima corpori coniuncta est, in qua tamen nihil peccati inuentum est. Si adeo hebes cornu cuspides, dicasque animam coinquinari per coniunctionem cum corpore secundũ rationem seminalem producto, id facile retunditur. Potest Deus hodie creare hominem ex nihilo, quorum filij sine peccato, non tamen sine coniunctione animæ cum corpore, conciperentur. Quicquid tandem mediteris, quicquid agas, nihil in conceptione infantis repereris, quod vel peccatum, vel peccati caussa sit, sine respectu ad primi parentis lapsum. Coniunctio animæ cum corpore est conditio, sine qua non macularetur anima, non caussa, multo minus ipsum peccatũ. Nec homo personalem culpam committeret, si facultate intelligendi deficeretur; quam tamen à Deo accepit. Ipsius Dei concursus generalis, minime caussa vllius peccati, at conditio est, sine qua pleraque omnia peccata non possent committi; Ceterum scaturigo peccati in recens concepto est, quod sit filius Adæ (vel pars eius, & quidem præcipua, ac peccati in primis capax, si de anima loquamur) præceptum diuinum præuari-

uaricati, per ſeminariam rationem generatus. Ipſum formale originis peccatum eſt gratiæ ſeu iuſtitiæ defectus, quatenus Dei ordinationi de illa in poſteros Adæ transfundenda aduerſatur, & infantibus quoque in primi parentis voluntate ſpontaneus ac liber reputatur. Hoc cornu tuo deeſt dilemmati; ſed cornu illud conſequentiam dilemmatis peſſumdaret. Nam Deus non eſt auctor infanti priuationis gratiæ, quatenus Diuino decreta aduerſa, atque in Adamo voluntaria eſt. Nec hominis, qua huic defectui ſubſtat, ſed naturæ humanæ, & tam naturalium, quam ſupernaturalium perfectionum origo eſt Deus: nulla illi cum peccato conuentio.

§. 21. Prædicans; quod eius acumen, non reperit vllam viam, qua dilemmatis ipſius ictum effugeremus; ni dicamus, animam à corpore infici: hoc noſtrum reſpõſum, imo prædicãticum inſomnium haud vno quatit ariete. omitto, quam inualido; aërem verberat: neque enim Catholici docemus carnem eſſe vel directam, vt ſomniat aduerſarius; vel indirectam cauſſam maculæ in anima contractæ; conditionem eſſe agnoſcimus corpus, ſine qua animus non contaminaretur. Maritus mulierem innu-

innuptā cognoſcens cōmittit adulterium; coniugium minime eſt cauſſa adulterij; ſed conditio, ſine qua viri peccatum non foret adulterium. Nec corpus eſt cauſſa productionis animæ, quod nec Zephyrius inficias ierit profeſſus materiale non poſſe directe agere in immateriale; & tamē corpus eſt conditio ſine qua nunquam anima vel crearetur, vel propageretur. Exploſus enim eſt iam illorum error, qui animas ſine corpore productas, annutu Diuino, vel, vt alij, propria ſponte in corpora labi opinati ſunt, quamuis vtrumq; cenſuerit probabile acutiſsimus cetera Auguſtinus, in hoc de animæ origine argumento ſuam ſæpius ignorantiam teſtatus. Attamen errorem iam dudum antiquatum à nobis confoueri perſuaſus Zephyrius imaginatur ſibi, noſtra ſententia, animas neſcio vbi locorum creari, & inde à Deo immitti in corpora iam prius ſordida & lutulenta, atque ab his conſpurcari animas. Dignum tali cerebro phantaſma. Veſtrum eſt delirium in carne adhuc inanima, ſeu embryone infixam, & vbique diffuſam eſſe originalem labem. Nos autem non admittimus quicquam peccati in fœtu prius inhærere, quam rationalis animus adueniat.

niat. quomodo ergo iste à carne coinquinabitur? quod vero anima dicitur inspirari, insufflari, extrinsecus accedere, vt loquitur Philosophus, nemo cōceperit eam extra corpus aliquando fuisse; forinsecus aduenit, quia non ex carnibus & sanguine sumpta, sed à Deo solo, & quidem in ipso corpore condita est, eodemque temporis momento quo creatur, corpori coniungitur. Cuius coniunctionis haud solus Deus est auctor, sed ad eandem, secundum meliorem philosophiam, concurrunt etiam parentes.

Arist. lib. 2. de generat. animal. cap. 3.

§. 22. Verum quæcunque seu ipsius animæ, seu coniūctionis eius cum carne caussa sit, id ad Catholicum de peccati originalis transfusione dogma, plane ἀπροσδιόνυσον, & extra lineam est. Nam ex scripturis Canonicis discimus peccatum regnare in Adæ filios, eosque in vtero filios iræ nasci; nec prius anima vere concipitur peccato coinquinata, quam cogitetur pars filij Adæ; quis autem non videt, imo palpat animam esse posse partem filij Adæ, siue à Deo solo, siue à parentibus producatur; siue à Deo solo, siue à parentibus illa carni iungatur? æque pars corporis esset manus, seu in matris vtero producta, seu à solo Deo con-

condita; seu à Deo brachio coniuncta, seu primitus adnata sit. Nihil profecto, nihil ad partis rationem pertinet qualis sit eius origo, aut per quem corpori inserta sit. Sed & ad intelligendum originalis delicti traductionem perparum facit animam ex parentis anima proseminari; cum constet animam filij non coinquinari ex anima parentis, qui sæpe omni saltem graui peccato purus est: & licet originali obstrictus adhuc foret, id tamen nihil filio officeret, qui ob solam primi parentis culpam originali labi obnoxius fit. Corpus humanum propagatur quidem ex corporibus parentum, nec tamen per propagationem maculatur. Quare nec hoc damus Luthero, facilius defendi propagationem peccati originalis, si animæ generantur ex traduce, quam si creentur. Argumentum eiusdem petitum ex similitudine ingenij & morum inter filios & parentes futile est. Longe plures liberi parentibus dissimiles videntur, quam similes. Vt mansuetus & pius in Esau iniquum sibi fratrem fuit Iacob? quam feri in simplicem & innocentem Ioseph erant tot Iacobi filij? Quam degeneres à B. Dauide fuerunt pleriq; eius nec pauci filij? notum illud: Filij heroum

noxæ. si quis similes sunt parentibus, id sæpe contingit singulari prouidentia Dei, qui piis parentibus donat ad pietatē pronos filios; impiorum vero sobolem sinit esse duræ ceruicis, ad omne malum cereos; secundum Deum in efformandis moribus plurimum valet educatio: multum quoq; non solum ad ingenij, iudicij præstātiam, sed & ad quandam in bonum inclinationem confert corporis temperamentum. Certe idem homo, habens eandem animam, infans sine consilio & sapientia est, dū in corpore dominatur nimius humor; quo attemperato succedit rationis vsus & agendi libertas. En plures caussas, in quas parentum ac liberorum qua ingenio, qua moribus similitudinem referre licet: nimia vero ac frequentissima dissimilitudo argumento est, animam non generari ex traduce. bona sane & verosimilis coniectura.

§. 23. Longe tamen acutiora Catholicis suppetunt spicula, quibus tanti, hoc tempore, paradoxi patronos configant. Ex toto venerandorum sanctorumque Patrū choro vel vnus nominetur animarum ex traduce propagationis assertor; incelebres vel hæretici fuerunt, qui huic olim dogma-

dogmati ſubſcripſerunt ; vt Luciferiani, Tertullianiſtæ. quis prudens Patrum relicta ſemita, veſtigiis hæreticorum inſiſtat? Aduertit vtique etiam B. Auguſtinus noſtram ſententiam & graui auctoritate, & plurima ratione munitam, quam tamen definire noluit, veritus (vbi nō erat timor) vt Catholicæ de originali labe fidei tuendæ viam ſibi præcluderet: quam fidem opinabatur quidem facilius explicari, ſi anima generetur ex traduce: nec hoc tamen aſſerere voluit, ſed dubius hæſit. Sola vnius argumenti ſoluendi difficultas (vere non tanta) illum detinuit, ne profiteretur ſententiam, in quam, ab ipſa veritatis luce & virtute tractus, non obſcure propendebat. Quare ad ſanctum Hieronymum ſcribit: *Illa de animarum nouarum creatione ſententia, ſi hanc fidem fundatiſſimam* (de peccati originalis ex Adā in poſteros eius transfuſione) *non oppugnat, ſit & mea.* Et: *Licet nemo faciat optando, vt verum ſit, quod verum non eſt: tamen, ſi fieri poſſet, optarem, vt hæc ſententia vera eſſet; ſicut opto, vt ſi vera eſt, abs te liquidiſſime atque inuictiſſime defendatur.* Paulo poſt: *Illam vero opinionem, quod ex vna fiant omnes animæ* (per traducem) *nec diſcutere volo, niſi neceſſe ſit. Atque* V T I N A M *iſta de qua nunc*

Aug. ep.28 alias lib. ad S. Hieron, cap.27.

Ibid. c.23.

agimus, si vera est, sic defendatur, vt iam hoc necesse non sit. Subdit se votis ardentibus exoptare & exspectare, vt ei per B. Hieronymũ: *Dominus huius rei auferat ignorantiam.*

§. 24. S. Hieronymus porro aperte veritatem docet. Nam expendens illud Ecclesiastæ: *Spiritus reuertatur ad Dominum, qui dedit illum,* ita disserit: *Ex quo satis ridendi sunt, qui putant animas cum corporibus fieri, & non à Deo, sed à corporum parentibus generari. Cum enim caro reuertatur in terrã, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Deum patrem animarum esse, non homines.* Concinit Prudentius S. Hieronymi synchronos:

Eccles. 12.
Hieron. in cap. 12. Eccles.

Crede animam non esse Deum; sed crede creatis
Maiorem cunctis, ipsam quoq; crede creatam.

Prudent. in Apotheosi.

Et:

nec quisquam nascitur insons:
Vitandus tamen ERROR *erit, ne traduce carnis*
Transfundi in sobolem credatur fons animarum.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, &c.

Et hanc communem Ecclesiarum sententiam iam ante 1200. annos fuisse testatur S. Hieronymus, dum Ruffino asserenti, se nescire quæ verior sit sententia obiicit: *Miraris si contra te fratrum scandala concitẽtur, cum id nescire te iures, quod Christi Ecclesiæ se nosse fatean-*

Hieron. lib. 3. aduer. Ruffinum.

fateantur. Ex Græcis Patribus doctissimus Theodoretus: *Omnes* (Prophetæ & Apostoli) *concordi oratione nos docent, ex terra & aqua, ceterisq; elementis humanũ corpus effectũ esse: animam vero nequaquam ita in corpus demissam, vt tamen antea per se subsisteret, sed corpore iam plasmato creatam esse. Plasmauit enim inquit, Deus hominem, puluerem sumens de terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, factusq; est homo in animam viuentem.* Neq; *vero intelligendum est, inspirationem hanc fuisse quendam anhelitus defluxum, qui de ore Dei prodierit, incorporeus enim Deus est, idem simplex, neque compositus; sed ipsam animæ naturam, spiritum esse præditum ratione & intellectu.* Hæc itaq; Moses *in mundi genitura conscripsit, quibus assimilia nos docet & in Diuinis legibus. Vbi enim de prægnante muliere mentionem facit, quæ plagis affecta pariat abortiuum, formari prius in aluo matris infantem ait, ac tunc deniq; iam perfecto corpore animari, non ita quidem, vt anima præexistens aliunde corpori inseratur, neq; vt enascatur è semine; sed Diuino instituto, sicut ab initio insita naturæ lex fuit, creationem accipiat.* Pergit idem pluribus scripturis comprobare. Eandem sententiam sequentium seculorum auctoritas plane indubitatam reddidit, consentientibus in eam iam per mille & plures annos tot tan-

Thedor. lib. 5. Græcar. affectio.

Genes. 2.

Exod. 21.

tisque Ecclesiis, tam prælatis & doctoribus, quam fidelium plebibus. Quare denuo hanc rem in dubium vocare, excellentis insolentiæ & temeritatis est.

§. 25. Sed dicite, si anima producit animam, num ex nihilo, vel ex seipsa, vel ex materia producit. Non ex nihilo, quia hoc creatoris proprium est. non ex seipsa, nam quod ex alio ꝓducitur ab eo indiuulsum est; materiæ inexistit forma, quæ ex illa extrahitur: at anima filij non adnascitur animabus parentum. ex materia ergo educatur oportet. Verum quicquid ex materia eductum, adeoque materiale, idem quoque corporeum est. Quare veteres hæretici, qui animam per traducem progigni asseruerunt; eandem corpoream esse statuerunt. De Tertulliano testatur S. Augustinus: *Tertullianus, sicut scripta eius indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiatum corpus esse contendit; neq; hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum.* Idem S. Augustinus ex anonymo quodam hæc refert: *Luciferiani cum teneant in omnibus Catholicam veritatem, in hoc errore stultissimo prolabuntur, vt animā dicant ex transfusione generari, eandemq; dicunt & de carne, & car-*

g. hæresi

n hære-

carnis esse substantiam. Alibi scribit S. Doctor: *In parte illorum, qui animam corpus existimant sunt maxime, qui eam ex parentibus creari opinātur.* Nonnulli subtiliores dixerunt animas propagari per spirituale incorporeum semen (vt discimus ex S. Augustino) quod vel seorsim transfundatur, vel in ipso corporali semine latet, hoc postremum credibilius iudicauit S. Augustinus priori; sed vtrumque à vero procul est. Nam hoc animæ semen ex illorum sententia non est accidens, sed substantia; quis vero concipiat substantiam spiritualem *ἄβιωτον*, non viuentem? & cum semen hoc intereat, vel in animam recens productam transmutetur, quomodo ex animæ secundum se totam (vtpote indiuisibilis) immortalis substantia haustum est? quomodo, si corrumpitur, *ipsa, cuius mortale semen est, mortalis est anima?* quærit merito doctissimus Augustinus. Sed & nostrum recurrit argumētum, quod vim æquam habet seu anima patris per se, seu per semen tanquam instrumentum producat filij animam. de ipso siquidem semine vrgemus, an animam producat ex nihilo, quod per se incredibile; vel ex subiecto, quod necessario asserendum est, & nec fingi potest in embryone, ante-

Idē lib. 10. de Genesi ad litteram, c. 21.

Idem cit. lib. 10. cap. 20. & 21. & ep. 157.

quam animam rationalem recipiat, nisi materiale atque corporeum, ex quo anima educatur: at substantia seu forma substantialis ex re corporea educta, ipsamet quoque corpulenta, materialis, adeoque corruptibilis est. quicquid enim ex subiecto extrahitur, ab eodem quoad existentiam dependet, neque illo pereunte superesse potest, secluso miraculoso Dei concursu, qui rem, quam agimus, nihil attinet.

§. 26. En stratam ad abnegandam animæ immortalitatẽ viam. Omne enim corporeum & generabile est corruptibile; vt principio etiam capitis conclusimus. Sed quid opus consequentiis? aperte satis Lutherus mortalem esse hominis animã statuit, quãdoquidem dogma de animæ immortalitate in portentis habet. *Permitto, quod Papa condat articulos fidei & suis fidelibus, quales sunt: Panem & vinum transubstantiari in sacramentum: Essentiam Dei nec generare, nec generari; Animam esse formam substantialem corporis humani: se esse Imperatorem mundi, & Regem cœli, & Deum terrenum. Animam esse* Immortalem. *Et omnia illa infinita* Portenta *in Romano sterquilinio Decretorum.* Inter absurdissima suo iudicio dogmata recenset hæresiarcha hoc de animæ immortalitate: indignus

[L]uth. in as[s]ert. artic. [a]rt. 27. to. 2. Vit. anno [1]562. pag. [1]07.

dignus omnino qui hominibus accenſeatur, quos adeo abiicit, & brutis animantibus, quoad ortum & interitum pares conſtituit. E Lutheri ſchola prodiit, qui anno 1568. Cracouiæ in Polonia hanc theſin dedit: *Negamus aliquam animam poſt mortem manere; ſed illud dicimus excogitatum ab Antichriſto ad ſtabiliendam ſuam culinam per fictum purgatorium, & inuocationem Sanctorum.* Hunc plurium Lutheranorum ſenſum eſſe teſtatur Ioannes Brentius famoſus inter ſuos Prædicans: *Etſi inter nos nulla ſit publica profeſſio* (hæc ſola deeſt) *quod animæ ſimul cum corpore intereant, & quod non ſit mortuorum reſurrectio; impuriſſima & profaniſſima illa vita, quam maxima pars hominum ſectatur, perſpicue indicat, quod non ſentiant eſſe vitam poſt hanc. Nonnullis etiam tales voces tam ebriis inter pocula, quam ſobriis in familiaribus colloquiis excidunt.* Eructant, cuius cor plenum eſt. Terrificum Lutheranorum purgatorium. Miſerrimos Lutheranos, ſepultura aſini ſepeliendos, quorum idem qui iumentis exitus eſt, & interitus.

Brentius in cap. 20 Lucæ. ho: 35. pag. 10 Francofo ti, an. 155:

CA-

Capvt qvartvm.

Nonnullæ obseruationes.

Parag. 27. Primo consideret quisq; prudens, semel ac iterum de falso aut mendacio conuictũ, merito omnem apud alios fidem perdere; vnde Aristoteles apud Diogenem Laertium interrogatus, quidnam mẽdaces lucrarentur, respondit; *vt cum vera dixerint, eis non credatur.* Et Tullius: *Vbi quis semel peierarit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos iuret, nõ conuenit.* Idem sæpius tradit quoq; Lutherus, vt in assertione articulorum suorum, artic. 25. *Qui semel mentitur, hic certissime ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.* Et: *Suspecti estis in omnibus semel deprehensi in tam crassa temeritate deprauandi verbi Dei.* Alibi: *Quando Suermeri in vno articulo manifeste falsi deprehenderentur, per hoc essemus nos sufficienter à Deo admoniti, ne eis crederemus.* Atqui Lutherum plures docuisse errores ipsi eius sectatores fatentur: manifesta quoque sunt eius mendacia. Vt cum anno 1521. aduersus Angliæ regem scribit: *Certus sum dogmata mea me habere de cælo.* Et ad Georgium Saxoniæ ducem: *Mihi quidem hoc certissimum est, quod neq; Cel. V. nec vlla vis humana doctrinam meam retar-*

...ist. apud ...og. lib. 5. ...cero pro Rabir. ...th. in as... ...t. Germ. ...suorũ. ...m to. 2. ...it. pag. ... de cœ... Christi. ...th. to. 2. ...t. anno ... pag. ...m eod. ...ag. 488.

tardabit, impediet, extinguet, opprimet. Quia non est mea, aut vllius hominis. hæc anno 1525. Taceo errores de animabus Purgatorij; somnum animarum, turpissimũ paradoxum, anno 1522. & 1535. docuit; vt §. 12. ostensum est. Respondete Lutherani, de cœlone an ex mendacio ea doctrina; num Dei, an erronis hominis sit. quid opus oculis? palpabile mendacium est, cum scribit dogmata sua à Deo inspirata, è cœlo hausta esse.

§. 28. Secundo obseruetur, quomodo absurdissima quæq; scripturis confirment hæretici, recte ab Origene fures & adulteri scripturarum appellati, quas in alienissima sensa trahunt, torquent. Errorem de pœna animarum purgatorij, quod torqueantur gustu quodam inferni, & desperationis horrore, nullus vnquam ante Lutherum docuit, atque illum ipse post repudiauit; & tamen vna paginæ facie tomo primo VViteberg. pag. 112. minimum 20. scripturæ loca compilauit, ad errorem illum stabiliendum. Animarum somnum scripturis probat. Stamus Lutheri iudicio, nunquam fidendum amplius esse illi, *qui semel in tam crassa temeritate falsificandi verbum Dei deprehensus est.* Norunt hæretici, quod obseruauit S. Vincentius; *Fœtores suos nulli*

Origenes in cap. 2. ep. ad Roman.

Vincent. Lirin. c. 35.

nulli fere cito esse placituros si nudi & simplices exhalentur, atq; idcirco eos cœlestis eloquij velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facile despiceret errorem, Diuina non facile contemnat oracula. Ex quo etiam patescit, quam falso sectarij asserant scripturas esse adeo claras; quales si forent, non tam facile iis ad suam quisque hæresin roborandam abuteretur. *Nec periclitor dicere,* ait antiquissimus Tertullianus, *ipsas quoq; scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materiam subministrarent, cum legam: Oportet hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent.*

Tertullian. cap. 39. de præscript.

§. 29. Tandem obseruetur, nullum vnquam ab ipso Deo vocatũ in ministerium prædicationis, qui publicè post vocationem vnum aut plures errores disseminarit. Aperite oculos, miseri Lutherani, qui Lutherum, vt Prophetam, tertium Eliam, quintum Euangelistam, doctorem diuinitus ad reuelandam Antichristi tyrãnidem euocatum concelebratis, circumspicite, vtrũ à condito orbe vnquam, vspiam quis *ἀμέσως* à Deo missus fuerit, qui, non dico quinq; aut pluribus annis, sed vno anno, vno mense, vno die, vna hora veris falsa miscuerit, nouos, & inauditos antea errores post vocationem Diuinam commentus

tus ſit; quæ in Luthero ſolis radiis clariora ſunt. *Falſo Prophetæ vaticinātur in nomine meo: non miſi eos. & non præcepi eis, neq; locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis*; dicit Dominus. non ait; nihil niſi falſum vaticinantur; quaſi pſeudopropheta nō ſit, qui nō mera ſpargit mendacia: propheta Domini non eſt; quiſquis vel vnum errorem publicat, vnam viſionem mendacem. at Lutherus non ſolum primis annis, ſed ſequentibus quoque manifeſtos, ipſorum Lutheranorum calculo, errores editis ſcriptis docuit. non abeo ab argumento, animarum dormientium, fors etiam ſomniantium, exempli loco memineritis. Quis vnquam propheta ita locutus eſt: HOC MIHI CERTISSIMVM EST, qui id poſtea tanquam mendacium & præſtigias deriſerit? quæ Lutheri circa purgatorium inconſtantia & antilogia eſt. Exſpectabo, an inueniatis vnicum ex omnibus ſeculis, quibus mundus conſtitit, qui à Deo ſingulariter ſeu extraordinarie vocatus, ſemiplene illuminatus, ex media parte erroribus implicatus fuerit, quos in populum diſſeminarit. ſi talis nunquam viſus, ſi de nullo auditum, ſolum Lutherum eiuſ-

Ierem. 14.

eiuſmodi eſſe quis credat, ſi ſapiat? Deum precor, vt à ſancta Catholica Eccleſia aberrantes, non ſemiplene ſed perfectè illuſtret, quo ad Eccleſiæ gremium reuerſi, omni poſito errore, in veritate vſq; ad finem vitæ ſtent, & perſeuerent, Amen.

Ad maiorem Dei, Virginiſq; Deiparæ gloriam.